DE METRORVM LYRICORVM HORATIANORVM ARTIFICIOSA ELOCVTIONE.

OBSERVATIO HISTORICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

THEODORVS REICHARDT
ROTENBVRGENSIS

MARPURGI CATTORUM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXIX.

THEODORO BIRT

S.

Dubitantem me, quam ad partem litterarum aut Graecarum aut Romanarum accuratius tractandam aggrederer, doctissimus et illustrissimus director seminarii philologi Th. Birt convertit ad verborum compositiones, quot Horatius Flaccus poeta in carminibus lyricis artificiose usurpasset; et magna cum voluptate operam et studium ad rem contuli, praesertim cum ad hoc tempus subtili quaestione egeret. Cum vero praecipue singulares compositiones, quae spectarent ad rationem, quae est inter substantiva eorumque adiectiva, observarem, anaphoram epiphoram chiasmum alias figuras praetermittere mihi placuit, de quibus satis diligenter disputavit F. Peters Zur wortstellung in den oden des Horaz. Münster 1870. Formae vero repertae cum potissimum caesuris inhaererent, nos commoverunt, ut etiam veterum grammaticorum doctrinam, quae fuit de metrorum derivatione, diligentius inspiceremus, quam quaestionem suo loco inseruimus. Haec de Horatio solo. Quis autem est, quin sciat in diiudicandis scriptoris alicuius arte et facultate aut scribendi aut canendi quaerere utique nostris temporibus omnes solitos esse, et quos ille secutus esset in argumentis atque in versuum artificiis, et qui ipsum. Et quamvis hanc de verborum collocatione quaestionem fortasse minoris pretii esse putaveris, quam qua multum augeri possit doctrina, tamen cum eam susciperem, parvulum quidem commodum eventurum esse speravi. Itaque postquam componendi usum ac rationem eorum, qui ante Horatium fuerunt, perscrutatus sum, ut eos quoque, qui saeculis post Chr. n. Horatii metris lyricis studuerunt, adhiberem, maxime me adduxerunt Zingerle libellis duobus: Zu späteren

lateinischen Dichtern, Innsbruck 1878 [1]) et L. Müller, qui libro 'de re metrica' multa me docuit. Sed ne latius vagaretur explicatio, non nisi strophas versusque sapphicos minores, alcaicos, asclepiadeos minores ad comparationem adsumpsi, nec longius quaestionem produxi quam ad Gregorium Magnum papam, quia et his metris satis superque differentia similitudoque, quales extent inter poetas, perspici possunt, et Gregorius ultimus quodammodo est habendus, qui in historia litterarum Romanarum ad nostram rem vim habeat. Maximum profecto esse agrum, quem colere mihi est propositum, nemo negabit; atque pauca, quae inveni, edere verear, nisi censeam ea, quae suis quisque viribus apta perfecerit, etsi sint exigua, cum benevolentia esse accipienda. Itaque securus observationes meas deinceps proferam.

1) I praef. I-XVII, p. 1-6.

I.

Ac primum quidem, quomodo in Flacci carminibus, quae utantur metris asclepiadeis, sapphico, alcaico, verborum compositiones caesuris conexae appareant, inquirere propositum est. Quod ut fiat, initium capiam a metris asclepiadeis. Quorum quamquam existunt genera quattuor praeter metrum asclepiadeum maius, tamen non nisi duo, quae maxime inter se differunt, diligentius inspicere iuvabit, dico systema asclepiadeum primum et tertium [1]). Exempla sunt illius libri primi carmen primum, huius libri tertii carmen XXIV.

Modo dictum est compositiones caesurae inhaerentes nos contemplaturos esse; Horatiumque ipsum, ut ex hac parte tractarentur, adhortatum esse cognoscimus. Nam caesurarum sedes plurimum valere voluisse se ostendit, cum voces, quibus maiorem vim implicat, in initio aut totius versus aut partis alterius caesura effectae ponat. Fines quoque utriusque partis versuum simili modo tractantur atque initia. Quantus sit interdum hic usus, exemplo illustrabo hoc, carm. IV, 14, 41—52:

Te Cantaber non | ante domabilis
Medusque et Indus, | **te** profugus Scythes
  Miratur, o tutela praesens
  Italiae dominaeque Romae.

Te, fontium qui | celat origines,
Nilusque et Ister, | **te** rapidus Tigris,
  Te beluosus qui remotis
  Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non paventis | funera Galliae
Duraeque tellus | audit Hiberiae,
  Te caede gaudentes Sygambri
  Conpositis venerantur armis.

---

1) Ex ratione L. Muelleri.

Talia vero exempla, quae spectant ad anaphoram, licet non utique tantopere sint cumulata, saepius leguntur. Huc si accedit, quod nulli alii intra versum loco poeta interpunctiones attribuere mavult, quam caesurarum sedi, constare mihi videtur, eam maximam vim habere voluisse Horatium. Quodsi hoc poetae consilium recte respiciemus, facilius, cur iis verborum compositionibus, quas tractabo, praecipue consuluerit Flaccus, intellegemus.

Inspicientibus autem nobis carmen primum statim occurrunt compositionum variae formae, quae hoc loco iam praemittam, cum in omnibus carminibus repetantur. Atque primum quidem uniuscuiusque versus partes duas, quae efficiuntur caesura, si spectamus, evadunt duae compositiones, quas siglis I et II significare mihi liceat. Forma I est haec: Prioris versus partis clausulam clausulae totius versus adsimilat Horatius, utrobique eas voces ponit, quae inter se respondent, atque ita verba usurpari solent, ut adiectivum sit clausula partis prioris, substantivum alterius, utrumque voce quadam seiungatur. Exempli gratia ex carmine I, 1 adsumo versum septimum:

Hunc si m o b i l i u m | turba Q u i r i t i u m.

Cui formae similis est forma II, quae ita efficitur, ut altera vox in initio totius versus, altera in initio versus partis posterioris locum obtineat, cf. III, 24, 12

I n m e t a t a quibus | i u g e r a liberas.

Sed haec minus saepe extat quam forma I. Porro invenitur compositio quaedam, quae non prorsus caesurae est alligata, quam tamen, ut Flacci ratio bene cognoscatur, neglegendam non esse puto. Forma sigla III significata oritur haec: altera vox in initio, altera in fine versus totius collocatur; inspicias, quaeso, I, 1, 34

L e s b o u m refugit | tendere b a r b i t o n.

Videsne, quae verba respiciantur, in initio exituque aut totius versus aut alterius partis esse collocata?

a——b | a——b

Sed perscrutantes, qui sit numerus singularum formarum in duobus nostris carminibus, in carmine I, 1 formae I exempla mirum in modum esse congesta invenimus. Sunt autem haec:

1. Maecenas atavis | edite regibus
6. Terrarum dominos | evehit ad deos
7. Hunc si mobilium | turba Quiritium
8. Certat tergeminis | tollere honoribus
9. Illum si proprio | condidit horreo
10. Quidquid de Libycis | verritur areis
12. Agros Attalicis | condicionibus
19. Est qui nec veteris | pocula Massici
20. Nec partem solido | demere de die
21. Spernit, nunc viridi | membra sub arbuto
22. Stratus nunc ad aquae | lene caput sacrae
27. Seu visast catulis | cerva fidelibus
28. Seu rupit teretes | Marsus aper plagas
31. Nympharumque leves | cum Satyris chori.

Cui numero si adiungitur versus 2

O et praesidium et | dulce decus meum

versuum 36 formam I praebent 15, hoc est paene dimidium. Quamvis autem haec forma parcius adhibita artem poeticam adiuvet, si nimis usurpatur, quod fit in hoc carmine, crimen minoris varietatis vix depellere potest. Atque eo magis aliquis id miretur, cum Horatius, qui non tam naturae indolem secutus quam consilio ac ratione ductus, quo diximus modo, carmina composuit, carmen I, 1 dedicatum atque quasi prooemium carminum libris 1—3 postea proposuerit, postquam hunc usum verba componendi in ceteris carminibus, ubi non ita saepe at melius extat, iam satis exercuit. Argumento est III, 24, in quo carmine exempla sunt haec:

10. Quorum plaustra vagas | rite trahunt domos
18. Privignis mulier | temperat innocens
20. Coniunx nec nitido | fidit adultero
26. Caedes et rabiem | tollere civicam
58. Seu malis vetita | legibus alea.

Hic certe melior comparet ratio, nam non est 1 : 2 sed (5 : 31) 1 : 6, quam in omnes omnino valere in fine quaestionis videbimus.

Inferiores vero sunt numero formae II et III, quod exemplis, quae sequuntur, statim conspicitur.

Forma II in I, 1

1. Maecenas atavis | edite regibus (1 : 36).

in III, 24

12. Inmetata quibus | iugera liberas
16. Aequali recreat | sorte vicarius
42. Magnum pauperies | opprobrium iubet (1 : 10½).

Forma III in I, 1

14. Myrtoum pavidus | nauta secet mare
15. Luctantem Icariis | fluctibus Africum
26. Venator tenerae | coniugis immemor
34. Lesboum refugit | tendere barbiton
36. Sublimi feriam | sidera vertice. (1 : 7).

in III, 24

44. Virtutisque viam | deserit arduae
64. Curtae nescio quid | semper abest rei (1 : 16).

Quam formam III parcius exercens id agit Flaccus, ut duo verba in exterioribus versus partibus collocata totum versum quasi ad unum comprehendant. Et bene profecto, quae vult, adsequitur. Sed hac re non contentus maiora adit: quemadmodum rem egerit, animum attendas. Si enim singula exempla, quae in carmine I, 1 supra sunt allata, diligentius observantur, tres illi versus, qui sunt 14, 15, 26 compositionem ostendunt exornatiorem ac pulchriorem quam posteriores 34, 36; nam in illis ut exteriores voces cohaerent ita quoque interiores. Itaque si substantiva significantur litteris a, *α* eorumque adiectiva litteris b, *β*, hae formae oriri possunt: a *α* *β* b — a *β* *α* b — b *α* *β* a — b *β* *α* a, vel: substantivum cum adiectivo suo saepit verba paria, sive substantivum praegreditur sive adiectivum. Has formas uno siglo III^a instruere liceat. In I, 1 id invenitur quinquies:

14. Myrtoum *pavidus* | *nauta* secet mare
15. Luctantem *Icariis* | *fluctibus* Africum
22. Stratus nunc ad aquae | *lene caput* sacrae
26. Venator *tenerae* | *coniugis* immemor
28. Seu rupit teretes | *Marsus aper* plagas.

Carmen III, 24 hac forma caret.

Si autem quattuor illa verba, quae, ut forma IIIª nasceretur, modo effecerunt, plane inter se commiscentur, novae et variae compositiones in lucem prodeunt, quae iisdem litteris usurpatis has species prae se ferunt: a α b β — b β a α — a β b α etc. Quae forma appelletur Iª, quia semper fere cum forma I coniuncta comparet. Sed cum haec compositio reliquis multo difficilior sit tractatu, exempla sunt rara:

I, 1, 1: Maecenas *atavis* | edite *regibus*.

Cum vero formae Iª et IIIª modo propositae, quamquam raro leguntur, maiorem ornatum versibus addant quam formae I, II, III separatae, illis maximam curam adhibuerunt elegiarum poetae, id quod otsenderunt Gebhardi[1]) et Birt[2]). Et quam orationis elationem et altitudinem maximam in poetis illis admiramur, maiore ex parte emanare ex his formis elegantissimis viri illi docti recte disseruerunt. Sed Horatius poetis elegiacis non cedit, nam quas quattuor formas ornatissimas apud elegiacos inducit Birt p. 32:

A : b β | a α — B : a β | b α — C : b | β α a — D : b | α β a

in Flacci quoque carminibus non desiderantur:

b β a α
A = I, 3, 34: Expertus *vacuum* | Daedalus *aera*

a β b α
B = I, 1, 1: Maecenas *atavis* | edite *regibus*

b β α a
C = IV, 5, 21: Nullis polluitur | *casta domus* stupris

b α β a
D = III, 8, 19: Ludit herboso | *pecus omne* campo.

Sed iam, num aliis compositionibus poeta carmina adornaverit, perscrutemur. Et extant sane. Ut vero in mediam rem inducamur, animos advertamus in carminis I, 1 quartum versum et quintum:

Collegisse iuvat | metaque *fervidis*
Evitata *rotis* | palmaque nobilis

1) De Tibulli, Propertii, Ovidii distichis . . . . Regimonti 1870.

2) Ad historiam hexametri latini symbola. Bonnae 1876. p. 33 saepius.

ubi in versus quarti parte posteriore prioreque versus sequentis 'voces in vicem eximie esse collocatas liquido apparet: nam ‚metaque' pertinet ad ‚evitata', ‚rotis' ad ‚fervidis'; nec te fugiet formam quoque Iª modo laudatam cum hac coniunctam legi. Atque in his similibusque rationibus persaepe et familiariter versatus est Horatius per omnia carmina ac recte est secutus regulam, ad quam poetae quoque elegiaci carmina pangenda dirigebant, ut voces, quae in prosa oratione vix separantur, puta praeter alias substantiva eorumque adiectiva, in propriis locis collocantes optime secernerent. Eidem regulae obtemperant hi versus:

11. 12. Gaudentem patrios | findere sarculo
Agros Attalicis | condicionibus

16. 17. Mercator metuens | otium et oppidi
Laudat rura sui; | mox reficit rates

24. 25. Permixtus sonitus | bellaque matribus
Detestata manet | sub Iove frigido.

Sed cum hae formae sint nimis variae, singulas singulis siglis significare taedet, universas siglo X designare sufficiat.

Recte miramur, quod Horatius et initia et fines binorum versuum asclepiadeorum adsimilare singulis adiectivis substantivisque paene neglexit, bis tantum initia ita sunt instructa, I, 5, 1. 2

Quis multa gracilis | te puer in rosa
Perfusus liquidis | urget odoribus.

et IV, 8, 33. 34.

In finibus autem, quibus sine dubio haec forma magis convenit, ter est posita, I, 6, 17. 18

Nos convivia, nos | proelia virginum
Sectis in iuvenes | unguibus acrium.

praeterea III, 7, 1. 2. IV, 11, 22. 23.

Cum hac ratione consentit, quod versus pherecratei et glyconei, qui coniuncti metri asclepiadei quarti strophas ad exitum adducunt, et initia et fines nonnumquam concinentes exhibent; utrumque simul cernitur in I, 21, 3. 4

Latonamque *supremo*
Dilectam penitus *Iovi.*

huc spectant etiam I, 21, 7. 8 — 5, 15. 16 — 14, 19. 20 — 23, 3. 4.

In systemate asclepiadeo tertio, ubi glyconeus et asclepiadeus minor alterni ponuntur, res ita se habet, ut glyconeus, cum caesura non dividatur, vicem alterius partis versus asclepiadei praestet. Quam varie autem, ut glyconei conectantur cum asclepiadeis aut superioribus aut posterioribus, fieri possit, optime illustratur his lineamentis atque numeris; nam numeri 1—6 vocabula sena ordine posita indicant:

I.	1——2 | 3——4 5——6	II.	5——6 1——2 | 3——4

ubi 1 respondere potest numeris 3 aut 4 aut 5 aut 6, 2 numeris 4 aut 5 aut 6.

Carmen III, 24 abundat his compositionibus:

1. 2.	Intactis opulentior Thesauris Arabum et | divitis Indiae	5. 1.
3. 4.	Caementis licet occupes Terrenum omne tuis | et mare publicùm	5. 2.
22. 23.	Virtus et metuens | alterius viri Certo foedere castitas	2. 6.
28. 29.	Subscribi statuis | indomitam audeat Refrenare licentiam	3. 6.
31. 32.	Virtutem incolumem odimus Sublatam ex oculis | quaerimus invidi	5. 1.
36. 37.	Vanae proficiunt? | si neque fervidis Pars inclusa caloribus.	4. 6.
40. 41.	Mercatorem abigunt | horrida callidi Vincunt aequora navitae	4. 6.
51. 52.	Eradenda cupidinis Pravi sunt elementa | et tenerae nimis	5. 2.
53—56.	Mentes *asperioribus* Formandae *studiis.* | Nescit equo rudis Haerere ingenuus puer Venarique timet, | ludere doctior	5. 1, 6. 2. 4. 6. 6. 4.

61. 62. Indignoque pecuniam
Heredi properet. | Scilicet inprobae. 5. 1.

Figurae II genera locum non habent nisi in systemate tertio, si omittis versus IV, 13, 24. 25. Sed omnino usurpavit Horatius has formas quinquagies, itaque cum ducenties vicies septies glyconeus coniunctus sit cum asclepiadeo, accipimus rationem:

$$50 : 227 = 1 : 4\tfrac{1}{2}.$$

Pherecrateus raro hoc modo cohaeret cum antecedente asclepiadeo, cf. I, 23, 2. 3. — III, 13, 6. 7. — 14. 15.

Hac observatione docemur primum quidem, quod iam antea attigi, poetam in verbis ponendis versus incisionem aeque aestimare atque clausulam totius versus; deinde glyconeo easdem fere partes attribui atque asclepiadeorum hemistichiis manifestum est. Etenim si comparantur exempli gratia III, 24, 1. 2 cum I, 1, 24. 25

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et | divitis Indiae
| bellaque matribus
Detestata; manet | sub Iove frigido

magnam similitudinem glyconei elucere cum asclepiadei parte altera nemo negabit. Affirmatur haec opinio alia compositione, quae ut in glyconeo ita in asclepiadeo partito locum habet. Glyconeus enim saepissime ita instruitur, ut substantivum cum adiectivo suo tertiam vocem circumcludat. Litteris hoc modo demonstratur:

a X b (b X a)

ubi X saepenumero verbum est a et b voces regens; videas exemplum III, 24, 49

b X a
Summi materiem mali.

Quod cum in asclepiadei quoque utraque parte maximeque in priore diligenter observetur, cf. I, 1, 30

Dis miscent superis, |

iterum similitudo inter glyconeum et asclepiadei dimidium in conspectum venit. Quantus sit usus huius formae, optime ex numeris exemplorum computatis cognoscitur. Numerus ascle-

piadeorum minorum est 509, illa forma invenitur in priore parte 13iens, in posteriore 8iens, vel una 21iens, itaque ratio fit 1 : 24. Aliam vero imaginem ostendunt versus glyconei 262, quorum 46 hac forma utuntur, id est 1 : 6; atque idem evenit in versu pherecateo, ubi est (6 : 35) 1 : 6. Vides igitur poetam hac forma glyconeum et pherecrateum exornare maluisse quam asclepiadei hemistichia, cuius rei causa facile cognoscitur ea, quod aliae formae in asclepiadeis usurpatae hanc formam saepius adhiberi vetant.

Sed antequam de glyconeo disserere desinamus, pauca addere de alia versus conformandi ratione inutile non esse videtur, quae, quamvis minoris artis sit, dulci sono non caret, dico formam

I, 1, 39. Per nostrum patimur scelus
III, 7, 12. Temptat mille vafer modis.

Simulatque autem praecedentes voces plurium syllabarum ambitum habeant, forma fieri potest eadem et par illi, qua verba re spondentia totum versum circumveniunt.

Denique, ut plene penitusque perficiatur formarum quaestio, commemoretur anaphora, quantum spectat ad initia exitusque seu singulorum versuum seu partium unius versus; et magnam sane diligentiam huic figurae adhibuisse poeta iure dicendus est. Exempla sunt in I, 1

27. 28. Seu visast catulis | cerva fidelibus
Seu rupit teretes | Marsus aper plagas
29. 30. Me doctarum haederae | praemia frontium
Dis miscent superis, | me gelidum nemus

in III, 24;

33—35. Quid tristes querimoniae
Si non supplicio | culpa reciditur;
Quid leges sine moribus
45—47. Vel nos in Capitolium
Quo clamor vocat et | turba faventium
Vel nos in mare proximum.

Hae sunt formae, quas in duobus illis carminibus adnotandas mihi esse censui. Sed ut melius perspiciatur, quomodo illae in carminibus se habeant qualesque videantur, longum

non esse puto, carmina I, 1 et III, 24 formis singulariter designatis tota huic loco adscribere:

I, 1.

Maecenas *atavis* | edite *regibus*,
O et praesidium et | dulce decus meum,
Sunt quos curriculo | pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, | metaque *fervidis*

Evitata *rotis* | palmaque nobilis
Terrarum dominos | evehit ad deos;
Hunc, si mobilium | turba Quiritium
Certat tergeminis | tollere honoribus;

Illum, si proprio | condidit horreo,
Quidquid de Libycis | verritur areis.
Gaudentem *patrios* | findere sarculo
Àgros Attalicis | condicionibus

Numquam demoveas, | ut trabe Cypria
Myrtoum *pavidus* | *nauta* secet mare.
Luctantem *Icariis* | *fluctibus* Africum
Mercator metuens | otium et *oppidi*

Laudat rura *sui;* | mox reficit rates
Quassas, indocilis | pauperiem pati.
Est qui nec veteris | pocula Massici
Nec partem solido | demere de die

Spernit, nunc viridi | membra sub arbuto
Stratus nunc ad aquae | *lene caput* sacrae.
Multos castra iuvant | et lituo tubae
Permixtus sonitus | *bella*que matribus

Detestata. Manet | sub Iove frigido
Venator *tenerae* | *coniugis* immemor,
Seu visast catulis | cerva fidelibus
Seu rupit teretes | *Marsus aper* plagas.

Me doctarum hederae | praemia frontium
Dis miscent superis, | *me* gelidum nemus
Nympharumque leves | cum Satyris chori
Secernunt populo, | si neque tibias

Euterpe cohibet | nec Polyhymnia.
Lesboum refugit | tendere barbiton.
Quodsi me lyricis | vatibus inseres
Sublimi feriam | sidera vertice.

III, 24.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et | divitis Indiae
Caementis licet occupes
Terrenum omne *tuis* | et mare publicum.

Si figit adamantinos
Summis verticibus | dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis | expedies caput.

Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas | rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae
Inmetata quibus | iugera liberas

Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet | longior annua,
Defunctumque laboribus
Aequali recreat | sorte vicarius.

Illic matre carentibus
Privignis mulier | temperat innocens,
Nec dotata regit virum
Coniunx nec nitido | fidit adultero;

Dos est magna parentium
Virtus et metuens | alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare nefas | aut pretiumst mori.

O quisquis volet inpias
Caedes et rabiem | tollere civicam,
Si quaeret Pater Urbium
Subscribi statuis, | indomitam audeat

Refrenare licentiam,
Clarus post genitis: | quatenus, heu nefas!

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis | quaerimus invidi.

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio | culpa reciditur;
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt? | si neque fervidis

Pars inclusa caloribus
Mundi nec boreae | finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt, | horrida *callidi*

Vincunt aequora *navitae*,
Magnum pauperies | opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam | deserit arduae.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et | turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides | *aurum* et *inutile*,

Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum | si bene paenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt *elementa* | et tenerae nimis

Mentes *asperioribus*
Formandae *studiis*. | Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, | ludere doctior,

Seu Graeco iubeas trocho
Seu malis *vetita* | legibus *alea*,
Cum periura patris fides
Consortem socium | fallat et hospitem,

Indignoque pecuniam
Heredi properet. | Scilicet inprobae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid | semper abest rei.

Dixi de versibus asclepiadeis minoribus, iam explicandum est, quomodo in systemate Sapphico[1]) verba sint composita; carmen autem I, 20 formarum suppeditabit exempla. Caesura, quam in carminum libris I—III cum diligentia et cura, in libro IV et carmine saeculari minus accurate post quintam syllabam esse observatam notum est, eodem modo atque in systematibus asclepiadeis, ut formae I, Iª, II existant, efficit, in novissimis vero carminibus saepius neglecta tales formas tertia excepta aegrius admittit. Ubi autem illae formae usurpantur, ibi nihil profecto aliud de iis pronuntiare possumus nisi quod de asclepiadeis, itaque hic omittamus.

Formarum quoque quas X notavi in versibus 1—3 uniuscuiusque strophae sapphicae ratio simplex ac manifesta est: videas carminis I, 20 versus

1—3. Vile potabis | modicis Sabinum
Cantharis Graeca | *quod* ego ipse testa
Conditum levi | datus in theatro

9—11. Caecubum et prelo | domitam Caleno
Tum bibes uvam: | mea nec *Falernae*
Temperant *vites* | neque Formiani.

Veniamus, si placet, ad adonium versum. Prorsus autem systema sapphicum cum asclepiadeo secundo comparari potest, ubi tres asclepiadeos minores antecedentes glyconeus sequitur: quo enim munere in hoc systemate fungitur glyconeus, idem praestat in sapphico adonius. Sed eo inter se paulum differunt, quod adonius crebrius atque maiore varietate et arte coniungitur cum hendecasyllabo tertio et secundo, quam glyconeus cum asclepiadeis, unde potius efficitur, ut similis hic fiat ei glyconeo, qui in systemate tertio adhibetur. Et quod iam supra similem glyconeum esse asclepiadei parti alteri demonstravi, magis accidit in adonio atque id eo facilius, quod syllabarum numerus in adonio et sapphici parte priore par est. — Hoc docet optime poeta ipse in I, 22, 23. 24

Dulce ridentem | Lalagen amabo
Dulce loquentem. —

alterum enim sapphici hemistichium una tantum syllaba superat

1) Westphal, Griech. Metrik II² p. 775.

adonium $^{5}\underset{5}{|}^{6}$*). Ratio vero inter glyconeum et asclepiadei partes cum sit $^{6}\underset{8}{|}^{6}$*) inde efficitur, ut glyconeus liberior solutiorque sit nec tantopere dependeat a versu antecedente et ipse nullo versu adiuvante verborum compositionis artificium ostendat velut ‚*summi* materiem *mali*'. Contra adonius cum sit brevior, ad ampliorem versum vicinum se applicare paene cogitur. Iam habes causam, cur variis modis adonius conectatur non solum cum versu tertio systematis, sed etiam cum secundo, immo haec conexio pertineat per totam stropham, quin per duas nonnumquam. Exemplo sunt IV, 2, 54—60

Me tener solvet | *vitulus*, relicta
Matre qui largis | iuvenescit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos | *imitatus* ignes
Tertium Lunae | referentis ortum,
Qua notam duxit, | *niveus* videri,
Cetera *fulvus*.

Unam stropham haec coniunctio obtinet in IV, 11, 21—24

Telephum quem tu | petis, occupavit
Non tuae sortis | *iuvenem* puella
Dives et lasciva tenetque grata
Compede *vinctum*.

cf. III, 11, 9. 11. 12 — 18, 1. 3. 4 — 27, 25. 28 — IV, 6, 4—8. Quemadmodum adonius cum versu tertio et secundo subiungatur, docet I, 20

6. 7. 8. Fluminis ripae | simul et *iocosa*
Redderet laudes | tibi Vaticani
Montis *imago*.

10. 11. 12. Tum bibes uvam: | *mea* nec Falernae
Temperant vites | neque Formiani
Pocula colles.

(cf. II, 4, 2. 4 — IV, 2, 34. 36.), cum tertio

3. 4. Conditum levi, | *datus* in theatro
Cum tibi *plausus*.

---

*) numeri sunt syllabarum.

11. 12. Temperant vites | neque Formiani
Pocula colles.

Harum compositionum ea, qua fines versus tertii et adonii concinant, praeter omnes memoratu digna est. Nam omnium ei maxime studet Flaccus ea de causa, ut puto, ut breviorem adonium artius conectat cum tota stropha. Itaque cum systema ad unitatis rationem reducat, non appendicem sed membrum totius strophae adonium esse curat. Quamobrem tantopere utique hanc formam Horatius in rem suam convertit, ut versuum adoniorum ducentorum quinque hoc modo 57 cum antecedente versu subiungat, id est 1 : $3^2/_8$.

Haec forma de insigni comparatione nos admonet: adonium enim effici, si hexametri dactylici pedes quintus et sextus abscidantur, grammatici Latini consentiunt. Ac re vera compositio verborum illi derivandi doctrinae magnopere subvenit: nam qua compositione adonii vox ultima respondet exitui versus antecedentis, eadem heroici versus pes sextus crebrius adaequat quartum, sic:

Tib. I, 1, 3:

Quem labor adsiduus vicino | terreat hoste.

Cuius rei exempla abunde extant.

Sed non solum ut hoc modo adonius cum hendecasyllabo tertio conectatur, fieri potest, verum etiam si inspexeris hanc imaginem:

1——2 | 3——4

5——6,

ubi numeri designant singula vocabula ordine posita, varietatem quandam conectendi evenire concedes. Nam 6 respondere potest 4, 3, 2, 1 atque 5 potest 3, 2, 1. Coniunctio 5. 4 cum sit communis et sermonis propria, omittitur; in ceteris omnibus quam libenter versatus sit poeta, testetur numerus (63 : 205) 1 : $3^1/_4$. Ac commode formarum singularum singula exempla proferantur:

5.1 = I, 2, 39. 40:

Acer et Marsi | peditis cruentum
Voltus in hostem.

5.2 = III, 11, 23. 24:

Sicca, dum grato | Danai puellas
Carmine mulces.

5.3 = II, 8, 23. 24:

Virgines, nuptae, | tua ne retardet
Aura maritos.

6.1 = I, 12, 19. 20:

Proximos illi | tamen occupavit
Pallas honores,

6.2 = I, 12, 11. 12:

Blandum et auritas | fidibus canoris
Ducere quercus.

6.3 = I, 2, 11. 12:

Et superiecto | pavidae natarunt
Aequore dammae.

6.4 = I, 2, 7. 8:

Omne cum Proteus | pecus egit altos
Visere montes.

Interdum binae formae binos versus implent, cf. I, 12, 59. 60 — 2, 11. 12 — II, 4, 11. 12 — 16, 11. 12 — III, 14, 3. 4 — 27, 71. 72.

Sed cum hoc usu, quo adonius pertinet ad suam stropham, discrepant pauca exempla, quae adonium cum sequentis strophae versu primo compositum ostendunt:

II, 16, 36. 37

Murice tinctae
Vestiunt lanae; | mihi parva rura et.

idem cadit in I, 12, 20. 21; 32, 4. 5.

Sed satis de hac re; tempus est carmen I, 20, quo formae demonstrentur, integrum apponere:

Vile potabis | *modicis* Sabinum
Cantharis, Graeca | **quod** ego ipse testa
Conditum levi, | *datus* in theatro
Cum tibi *plausus*,

Clare Maecenas | eques, ut paterni
Fluminis ripae | simul et *iocosa*
Redderet laudes | tibi Vaticani
Montis *imago*.

Caecubum et prelo | *domitam* Caleno
Tum bibes *uvam:* | **mea** nec Falernae
Temperant vites | neque *Formiani*
Pocula *colles*.

In hoc carmine quamquam compositiones tales non invenimus, quibus exitus binorum versuum vel initia praebent verba inter se respondentia, tamen eae in sapphicis existunt saepius quam in asclepiadeis, ubi paene omnino eas deesse supra demonstravimus. Initia, quae concinant, in versibus sapphicis reperio septies, dico tales: II, 6, 10. 11

Dulce pellitis | ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi.

cf. II, 6, 13. 14 — 8, 1. 2 — 16, 22. 23 — III, 11, 33. 34 — 18, 6. 7 — carm. saec. 21. 22, quibus adnumerari possunt I, 2, 45. 46 — 10, 5. 6. 7 — 12, 26. 27. Septies quoque poeta fines binorum versuum consonantes inducit: I, 2, 13. 14:

Vidimus flavum | Tiberim retortīs
Litore Etrusco | violenter undis.

ceteri sunt versus II, 4, 13. 14; 6, 21. 23; 16, 13. 14; III, 27, 2. 3; IV, 11, 26. 27; carm. saec. 37. 38.

Breviter insuper mentionem faciam formae, qua versus pars utraque ita collocat verba, ut vox quaedam substantivum et adiectivum discernat. Singulis exemplis praemissis numeros addere sufficiet: partis prioris I, 2, 10:

Nota quae sedes | fuerat columbis.

exempla sunt 10; partis posterioris III, 27, 57:

Vilis Europe | pater urguet absens.

sunt 7, itaque fit ratio (17 : 615) 1 : 36.

Et haec hactenus. Ceterum figuras quoque rhetoricas in sapphicis versibus usu vel maximo frui docuit Peters l. c.

Quibus de formis I, I^a, II, III, III^a supra est actum, eaedem in usu sunt in versibus Alcaicis[1]; nonnulla addenda sunt de formis X. Itaque varietas quamvis sit magna, tamen omnibus duae hic formae antecedunt, id quod non cadit in versus asclepiadeos sapphicosque; sunt autem hae: prima quidem legitur ea, ut altera vox collocetur in initio posterioris partis versus cuiusdam, altera in initio totius versus, qui sequitur; exemplum praebent I, 9, 17. 18:

Donec virenti | canities abest
Morosa. Nunc et | campus et areae

id quod ter decies invenitur. Altera vero forma etiam saepius usurpata est haec: altera vox concludit totum versum qui antecedit, altera priorem partem versus eius qui sequitur, hoc modo: I, 16, 9. 10.

Tristes ut irae, | quas neque Noricus
Deterret ensis | nec mare naufragum.

Quantopere poeta foverit hanc compositionem, cognoscitur eo, quod exempla 36 (1 : 4$^2/_5$) afferre possum. Ceteras alioquin formas X singulas enumerare longum est, in uno tractentur.

Sed si quaeris, num extent formae huic systemati propriae, sane etiam tales occurrunt, quae quidem spectent ad strophae tertium versum et quartum. Proxime autem hi versus accedunt ad systematis asclepiadei quarti pherecrateum et glyconeum strophas ad exitum perducentes. Itaque cum utrobique bini versus breviores succedant longioribus, etiam verborum compositiones utrobique ad similitudinem deduci manifestum est. Statim quae sint videbimus. Si enim eorum initia finesque observaveris, saepe ea inter se respondere invenies; initia quidem versuum, quae hac specie utantur, cf. II, 11, 7. 8:

Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.

sane pauca sunt, extant enim 7, exitus vero ita concinentes in maximo usu sunt, nam stropharum 158 versus hoc modo coniuncti sunt 39, quo fit ratio 1:4. Exemplum esto I, 17, 15. 16:

Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

---

1) Westphal, Griech. Metrik II^a p. 776.

Eadem ratione conecti pherecrateos glyconeosque, qui coniuncti singulas systematis asclepiadei quarti strophas claudant, supra demonstratum est. At non solum hac re inter se adsimilantur, sed etiam alia, qua scilicet unusquisque versus solus vocibus duabus respondentibus circumvenitur.

Atque etiam eo usque poeta similitudinem servavit, ut quomodo pherecrateus et alcaicus enneasyllabus versentur in minore huius formae usu, ita in maiore glyconeus et alcaicus decasyllabus; nam enneasyllabus hac compositione exornatur decies quinquies (1 : $10\frac{1}{2}$), cf. I, 17, 7:

Olentis uxores mariti,

decasyllabus tricies septies (1 : $4\frac{1}{2}$) cf. I, 17, 12:

Levia personuere saxa.

Qui numerus certe auctus esset, nisi particulae, inprimis 'et', obstarent, quibus saepius decasyllabus incipit, cf. IV, 15, 12—20. Sed quoniam aliae quoque voces incohare versum possunt, nova quaedam forma nascitur superiori affinis, cuius haec species est, I, 16, 4:

Sive mari libet Hadriano.

eius modi exempla 37 offerunt carmina, hoc est 1 : $4\frac{1}{4}$; idem in glyconeo est observatum.

Sed Horatius duos illos versus copulare satis non habet, sed id insuper agit, ut alio artificio enneasyllabum cum antecedente versu coniungat, quod efficitur formis X; quare adscribantur formae

I, 9, 10. 11:

Stravere ventos | aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi.

I, 16, 14. 15:

Limo coactus | particulam undique
Desectam et insani leonis.

qualia in ceteris libris iterantur. Atque frequentiae summa est 18 = 1 : $8\frac{7}{9}$. Versus porro secundus et quartus ita coeunt in I, 29, 10. 12. Nonnunquam etiam ex una stropha hic lusus transgreditur in alteram, cf. I, 17, 24. 25:

Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, | ne male dispari

quinque accedunt; vel II, 1, 4. 5:

Principum amicitias et a r m a
Nondum expiatis | u n c t a cruoribus.

Alii versus hoc modo compositi desunt.

Concludi autem hanc singularem vocabulorum coniunctionem non binis tantum versibus amplectique versus posse eo plures, quo maior in substantivo appositionum numerus sit, iam nonnullis exemplis demonstretur. Adsumamus carmen IV, 9, ubi, cum in versibus 22 et 24 voces 'Deiphobus' et 'primus' duos extremos versus cum tertio conectant, stropha quadratur. Similia ubique observantur. In IV, 4 vox 'alitem' cum appositionibus, quae in initiis finibusque aut totius versus aut partium collocatae sunt, versus 1—10 bene continuat ('qualem ministrum — a l i t e m — fidelem — inscium — paventem — hostem'). In IV, 15 verba 'nos (v. 25) — adprecati (v. 28) — canemus' (v. 32) duas strophas complexa cogunt; in II, 3 eodem munere fungitur vox 'mentem' (v. 26): 'aequam — m e n t e m temperatam'; in II, 5 'iuvencae' (v. 6): 'tuae — i u v e n c a e — solantis — praegestientis', in III, 29: 'F o r t u n a (v. 49) — laeta — pertinax — benigna'. cf. II, 14, 8—11; 19, 25—27, et alia.

Sed priusquam alcaicos enneasyllabos decasyllabosque missos faciamus, formas duas afferre expedit, quas Flaccus diligenter curavit; coniunctae comparent in I, 17, 2—4:

Mutat Lyaeo | Faunus et i g n e a m
Defendit a e s t a t e m *capellis*
Usque *meis* pluviosque ventos.

Vides adiectivum 'igneam', quod efficit clausulam versus secundi, voce 'defendit' secerni a substantivo suo 'aestatem' versus tertii. Idem accidit in 'capellis meis'. — Oritur vero forma haec ex studio iam supra indicato, ut duo verba, quae cohaerent, per alteram vocem seiungantur. Nec exiguum usum hae formae habent, cum prioris exempla inveniantur 26, posterioris 22, unde sequitur, ut stropharum 158 vel unam vel alteram praestent 48, hoc est, 1 : 3¹/₃.

Denique poeta nonnunquam decasyllabum forma I^a egregie exornavit; inspicias, quaeso, III, 29, 4:

P r e s s a *tuis* b a l a n u s *capillis*.

cf. eiusdem carminis v. 20 et 24; ac quaerenti tibi eius modi etiam plura occurrent.

Sed paulum moremur in respiciendis versibus I et II strophae alcaicae, cum iam restet contemplari, quo modo eorum initia exitusque se habeant.

Et initia binorum versuum, quae in asclepiadeis fere nusquam, raro in sapphicis concinunt, eandem imaginem in alcaicis praebent, nam numerus exemplorum est sex, quorum affero II, 1, 29. 30:

Quis non Latino | sanguine pinguior
Campus sepulcris | impia proelia.

reliqua sunt II, 14, 17. 18 — III, 29, 14. 15 — 17, 6. 7 — IV, 4, 7. 9 — 14, 33. 34.

Contra exituum concinentium, qui utique omnino spissius implent carmina, ne in alcaicis quidem numerus imminuitur; adhibentur enim decies sexies (1 : 10), cf. I, 9, 21. 22:

Nunc et latentis | proditor intimo
Gratus puellae | risus ab angulo.

adnumeravi versus secundos et tertios, quicunque ita concluduntur.

Ad extremum — iam enim ne defatigetur lector vereor — formam iam adferam, qua hendecasyllabi utraque pars aeque tractatur atque totus versus, cum in ea duo vocabula respondentia aliud (vel alia) includant ac saepiant, ut I, 9, 13:

Quid sit futurum | cras fuge quaerere et

I, 27, 22:

Madus venenis | quis poterit deus.

Sed haec forma Horatio curae parvae fuit, nam usurpata est decies octies (1 : 28 1/3).

Denique pronominis 'quicunque' singularem usum, qui etiam apud alios poetas (Terentium) scriptoresque (Ciceronem) nonnunquam invenitur, huic potissimum quaestioni inserere velim eam ob rem, quia vocis partes 'qui' et 'cunque' in alcaicis bis ad similitudinem formae II sunt collocatae, I, 9, 14:

Quem fors dierum | cunque dabit, lucro

et I, 16, 2. Versus vero I, 6, 3 et I, 27, 14 ad rem non pertinent [1]).

1) Neue, Formenlehre der latein. Sprache II[3], p. 240.

Iam vero, quod idem in asclepiadeis et sapphicis factum est, plenum carmen ostendemus, quo ratio compositionum cognoscatur.

I, 17.

Velox amoenum | saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo | Faunus et *igneam*
Defendit *aestatem* capellis
Usque meis pluviosque ventos.

Inpune tutum | per nemus arbutos
Quaerunt latentes | et thyma *deviae*
Olentis *uxores* mariti,
Nec *virides* metuunt *colubras*

Nec Martiales | Haediliae lupos
Utcumque dulci, | Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.

Di me tuentur, | dis pietas mea
Et Musa cordist. | **Hic** tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Hic in reducta | valle Caniculae
Vitabis aestus, | et fide Teia
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen;

Hic innocentis | pocula Lesbii
Duces sub umbra, | nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues *protervum*

Suspecta *Cyrum,* | ne male dispari
Incontinentes | iniciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus inmeritamque vestem.

II.

Prima opusculi parte ad finem perducta compositionum verborum de causis numerisque quaestio instituenda est; sed antea inquirere fas est, quantum laudis tribui possit Horatio, quod hoc modo, non alio carmina condiderit. Nam dubitari potest, utrum poeta, cum unam vel alteram formam versibus frequentius inseruerit, carminum pulchritudini aliquid addiderit an potius ademerit; nam talia artificia liceat placere debeant, eorum cumulatione nimiaque affectatione odium facile nascatur ac taedium. Si I, 1 affertur, hoc carmen nimis oneratum esse forma I nemo est, qui neget; at contra carmen III, 30 si diligentius inspicitur, verborum compositiones ibi artificio nimis carere et aptiores esse orationi solutae quam poematis non difficile est intellectu. Quod ut recte me iudicasse tibi persuadeas, carminis eius partem integram apponam, sunto versus 2—9: 'Quod non imber edax, non Aquilo impotens possit diruere aut innumerabilis annorum series et fuga temporum. Non omnis moriar multaque pars mei vitabit Libitinam: usque ego postera crescam laude recens, dum Capitolium scandet cum tacita virgine pontifex'. Quodsi praeterea commutatur ordo verborum 'aere perennius' atque postea 'obstrepit Aufidus' 'regnavit populorum' 'deduxisse modos', habemus laudationem gloriae Horatii nunquam intereuntis prosa oratione bene scriptam. Qua in re verba ipsa esse poetica, item expressionem sensumque et poeticas adesse figuras nihil refert, cum nulla alia de re nunc agatur nisi de verborum compositionibus.

In diiudicando omnino carminum pretio redire solemus ad Augusti temporum poetas elegiacos, qui sine dubio elegantissime optimeque in carminibus pangendis versati, quomodo praecipue versus exornarentur, haud ignoraverunt. Quamquam igitur totus apparatus poeticus erat eorum in manibus, ne compositio-

nes verborum neglegerent, utique caverunt. Evolvas, quaeso, Tibullum vel Propertium vel Ovidium nec multos invenies versus, qui forma vel I vel I[a] vel III[a] careant. Longe saepissime ita collocantur verba in versibus pentametris; eae nempe formae, quas in asclepiadeis regnare vidimus, pentametris quoque attribuuntur magis quam hexametris. Causa patet haec, quod pentametrum caesura in medio versu per legem adhibita in duas partes dividat, quo fit, ut formae I et II oriri possint. Itaque verborum compositionibus pentameter similis est asclepiadeo neque, cum ille una tantum syllaba auctior sit, multum abest, ut numero etiam aequentur.

Hac similitudine, quae est inter pentametrum et asclepiadeum, veteres grammatici Latini certe inducti sunt, ut derivari asclepiadeum ex pentametro docerent; atque eorum, quot quidem omnino derivandi doctrinam comprobant[1]), non solum asclepiadeum metrum ad principale quoddam revocant sed omnia, puta etiam sapphicum nostrum alcaicumque. Nam Caesio Basso duce[2]) omnes, qui eum secuti sunt, doctrinam metra derivandi defendunt hoc fere modo: omnia metrorum genera derivata esse ex duobus metris principalibus, dactylico et iambico, quod utrumque ipsum revocetur ad unum hunc versum:

ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν.

Marius Victorinus VI, pag. 50, 131, 146, ('et mehercules si quis excutere penitus velit, inveniet, ut supra diximus, omnia genera ab hexametro heroo et trimetro iambico derivata, quamvis et iambicum heroi sit traductivum, nec quicquam sine his per se posse subsistere'), Terentianus Maurus VI v. 1580 sqq. Marius Plotius VI, p. 501. fragm. Berol. et Sangall. VI, p. 634, ubi legitur: 'probabimus omnia metra ex his profluere fontibus (hexametro heroo et trimetro iambico) et ad haec referri veluti capita, neque aliam esse originem metrorum in tam immensa varietate'. Diomedes I p. 495. 501: 'formae principalium metrorum secundum antiquitatis rationem generalissimae duae sunt inventae, dactylica et iambica'. cf. Victorin. de metris VI, p. 215. Ex dactylico igitur et iambico metro omnia alia

1) R. Westphal, Griech. Metrik I[2] Cap. V p. 138—174.

2) Quos locos grammaticorum Latinorum citabo, omnes sumpti sunt ex Keilii 'Grammatici Latini' Lips. 1874 sqq.

metra nonnullis exceptis, quae usque renituntur huic rationi, derivari satis notum est, neque supervacaneum esse sed quodammodo ad rem pertinere mihi videtur cognoscere, quemadmodum grammatici illi veteres ea metra, de quibus agimus, systemati suo accommodaverint. Unde fortasse etiam id declarabitur, quantum hac metrorum derivatorum doctrina Horatius inductus sit, ut certis utique locis caesuras collocaret, deinde caesuras per certam verborum collocationem distingueret. Optime alioquin de hac re disputaverunt W. Christ[1]) et A. Kiessling[2]); qui quamquam rei maiorem partem copiose abundeque explicaverunt, tamen quomodo eorum, quae tradita sunt, rationes se habeant, quantum consentiant, quantum discrepent, cum adhuc singulari quaestione egeat, id hoc loco adumbrare operae sane pretium est. Quoniam vero verborum compositiones non nisi in versibus asclepiadeis sapphicisque minoribus et alcaicis usurpatas tractare consilium est, soli illi versus quomodo a grammaticis deriventur, ostendere suscepi.

Itaque primum quemadmodum tractetur metrum A s c l e p i a d e u m videamus.

Plerique id referri debere ad metrum dactylicum pertinaciter consentiunt; nonnulli, qui ad hexametrum ipsum recurrere asclepiadeum commemorant, tamen non accipiunt rationem, sed alter (Diom. I, 508) adnotat 'potest asclepiadeus ab hexametro nasci', alter (Atil. Fortun. VI, p. 296) in fine quaestionis addit: 'alii de hexametro volunt natum.' Uterque re vera cum ceteris metricis sequitur doctrinam, qua metrum asclepiadeum natum sit a pentametro elegiaco, scilicet 'ab eo, qui XIII syllabas habet, hoc est, cuius prima pars de spondeo et dactylo constat', (Atil. Fortunat. VI, p. 296). Sed si veram rei rationem exigis, quod attinet ad caesuram collocandam, nihil refert, utrum metrum originem ducat ab hexametro an a pentametro, cum pars prior usque ad semiquinariam utrique sit communis et par. Quamquam quod illi viri docti hoc metrum ex pentametro

---

1) 'Ueber die verskunst des Horaz im lichte der alten überlieferung'. Sitzungsber. der königl. bairisch. akademie 1868. p. 1.

2) Q. Horatius Flaccus, Oden und Epoden Berol. 1884 p. VII–XIV. Philologische untersuchungen, II 'zu augusteischen dichtern' p. 63 sqq.

fluxisse quam ex hexametro maluerunt, mirari non debemus: nam ut asclepiadeus fiat, hexametro demi oportet quattuor syllabas, pentametro unam, quod est simplicius. Quam doctrinam omnes fere metrici Latini acceperunt, Atil. Fortun. VI, p. 296. Mar. Victorin. VI, p. 109. 147. 150. 161. Diomed. I, p. 508. Excipitur Terent. Maurus, qui VI v. 2650 sqq. asclepiadeum a pentametro repeti 'procul esse a fide' demonstrare conatur. Argumentum, quod affert, est hoc: 'ut metri genus hoc vatibus inclitis non uno (glycon.) aut gemino constiterit pede (asclep. min.), verum in tres etiam consimiles eat (asclep. mai.), quod iam pentametri non patitur modus'. Hoc consentit cum Caesio Basso, qui, postquam p. 259 asclepiadeum natum esse ex glyconeo ostendit, p. 268 explanat: 'sed qui altius haec non perspexerunt grammatici (hoc est: metrum asclepiadeum esse choriambicum) hoc putant metrum decurtato pentametro factum, ut reddita syllaba fiat pentametrum'. Quae Caesii verba quin noverit in remque suam converterit Terentianus, dubium non est. In libello autem Bassi, qui est de metris Horatii, legitur: 'si vero ad paenultimam partem ultimae dipodiae brevis syllaba addatur, fiet elegiacus pentameter'. Hanc rationem ceteri grammatici secuti sunt, qui asclepiadeum e pentametro derivatum inducunt. Itaque quoniam dubitari non potest, quin uterque libellus Bassum habeat auctorem, duae apud eum rationes inveniuntur, altera: metrum asclepiadeum, quod sit choriambicum, a pentametro versu abhorrere atque nasci a glyconeo, altera: asclepiadeum fluere ex pentametro. Utraque separata per se traditur, atque utrum utraque ad Varronem iam redeat an altera ex grammatico quodam Graeco sit sumpta, diiudicari non potest. At certe grammaticos, qui aetate Basso inferiores sunt, affirmare possumus duas illas rationes non distinuisse sed nonnunquam confudisse, Terentiano excepto qui priorem solam est secutus, sive Caesium Bassum ipse inspexit, quod minus placet [1]), sive per Iubam aliosque, qui Caesii vestigia presserunt, eruditus est, quod perspicue demonstravit R. Westphal [2]).

Sed Caesius Bassus etiam tertium modum asclepiadei meti-

1) Lachmann, in praef. ad editionem Terent. Mauri p. XVI.

2) Griech. Metrik I, p. 171. 172.

endi monstrat, hoc est pede antispasto, cf. VI, p. 305, quae mensura ut maxime a nostro sensu abhorret, ita grammaticis veteribus auctoritatem fidemque detraxit. Laudandum autem est, quod unus Atilius Fortunatianus VI, p. 296 hunc tertium modum commemorat, cum dicat: 'potest et antispasticon esse trimetron acatalecton'. Caesius quoque sibi non probari illam doctrinam declarat, sed 'alii ita . . .' initium capit.

Restant igitur duae rationes: mensura dactylica, quae pertinet ad pentametrum, et choriambica, quae pertinet ad glyconeum. Priore ratione optime utitur Diomedes, qui I, p. 508. 519 asclepiadeum metrum ab elegiaco tractum esse ideoque dactylice scandi (p. 518) testatur; 'spondius, dactylus, semipes, dactylus, dactylus'. Mallius quoque Theodorus, quamquam derivationem a pentametro faciendam commemorare obliviscitur, asclepiadeum metrum appellat dactylicum eodemque modo quo Diomedes scandit VI, p. 590: 'metrum dactylicum asclepiadeum habet primum spondium secundo loco dactylum et catalecton deinceps duos dactylos'. Contra nihil aliud nisi mensuram choriambicam proferunt Mar. Plotius VI, p. 501. 536 et fragmenta Bobiensia VI, p. 629, glyconei vero versus mentio non fit. Atilius Fortunatianus VI, p. 296 utramque rationem affert, sed dum priorem accipit et dactylice scandit ('nam habet duo penthemimere, primum acatalectum, secundum catalecticum') recte intellegit posteriorem rationem, quae utatur choriambis, ab hac distare, quod significat incipiens 'quidam volunt' sqq. Vides adhuc duos fontes bene secerni neque magno labore posse dignosci. Aliter Marius Victorinus, qui partim ex libidine et voluntate, quaecunque de asclepiadeo omnino sunt tradita, componit neque suo loco collocat, partim recte fontes distinet. Quamobrem apud eum scriptum invenimus asclepiadeum metrum deduci ex pentametro 'quod constat ex spondeo, duobus choriambis, ultimo iambo' (VI, p. 109); hic itaque fontes confunduntur, quod iterum fit p. 147. Recte fontes sequitur p. 150, ubi asclepiadeum choriambis usurpatis redire ad glyconeum demonstrat; p. 161 confusio quaedam extat, nam cum de derivatione agens pentametrum et hendecasyllabum phalaecium nominet, metiendo metro subponit aut dactylos, qui congruunt cum pentametro,

aut choriambos, qui hendecasyllabo obstant; p. 172 cum iterum choriambos afferat, his pedibus grammaticum in scandendo asclepiadeo priores partes tribuere arbitrari sane licet.

Quae cum ita sint, discimus sententiam, qua metrum asclepiadeum ab hexametro (Atil. Fort. VI, 296. Diomed. I, 508) vel ab hendecasyllabo (Diom. I, 519. Mar. Victorin. VI, 150. 161) sit derivandum, minus valere. Apparet autem duas rationes supra tractatas solas esse respiciendas, quarum altera, quae pertinet ad choriambos glyconeumque, non minime ea de re adepta est auctoritatem, quod, cum metro asclepiadeo maiori tres choriambi medii inessent, asclepiadeo minori duo, causa extitit inquirendi, num reperiri posset metrum, cui esset unus choriambus medius. Itaque glyconeo versu arcessito asclepiadeos ab illo tractos esse inde docuerunt [1]. Altera vero ratio, quae asclepiadeum redire iubet ad pentametrum, magis propria est doctrinae et professionis metrorum derivandorum, quia ad principale metrum, hoc est ad hexametrum heroum regreditur. Et haec consensio, quae est inter asclepiadeum et pentametrum [2], omnibus fere grammaticis est comprobata. Sed ut in priore ratione neglecta derivatione, quae est a glyconeo, mensura choriambica crebrius citatur (Servius VI, p. 465. 468 Keil), ita hic mensura dactylica postposita derivatio pentametri praevalet.

Hanc fere metri asclepiadei imaginem veteres illi grammatici Latini praebent [3]. Nostrae vero rei haec quaestio affert commodum, quod mira mensura antispastica omissa incisionem utique post sextam syllabam poni et apud dactylos et apud choriambos doceamur. Quam doctrinam in componendis carminibus Horatium commovisse recte explicavit A. Kiessling, philol. untersuchungen II, p. 63 sqq. At contra eodem iure dici potest Flaccum, cum praeceptis veterum grammaticorum severe diligenterque pareret, ipsum quoque hac re illorum doctrinam comprobasse et affirmasse [4].

---

1) cf. Aurelii Prudentii praefationem ad carminum librum.

2) Kiessling, Horatius, Oden p. IX. R. Westphal, Metr. II, p. 763.

3) W. Christ l. c. p. 16—19 utramque et derivandi et metiendi versus asclepiadei rationem esse secernendam non satis perspicue ostendit neque quidquam Westphal I, p. 138—174 de hac re attulit.

4) Christ l. c. p. 18. 30.

Et haec de asclepiadeis. In metro autem sapphico atque alcaico, cum memoria sit simplex et una, quaestio est minus contorta et difficilis. Nam in derivando metro Sapphico iam Caesius Bassus caesuram post quintam syllabam esse iubet [1]). Eodem loco eodemque sensu versum dividunt Mar. Victorin. VI, 162. Diomed. I, 508. Quomodo igitur veteres scriptores huius metri derivationem omnino institui voluerint, perspicitur optime ex grammaticis modo dictis, qui uterque partem versus superiorem ex trochaico, partem inferiorem ex iambico esse tradit: itaque hendecasyllabi sapphici partem priorem esse penthemimeren trochaicam recte pronuntiare possumus; nam quod secundo loco prorsus curat Horatius, ut semper adhibeatur spondeus sententiae non est impedimento, cum ante Flacci aevum poetae hoc usu non sint obstricti. Sed Caesius Bassus, qui hanc partem ex archilochio quadrato nasci vult, id minus bene tradit, neque quisquam postea idem refert, quia ille versus novem metris principalibus non adnumeratur, ex quibus omnia metra adiectione detractione transmutatione concinnatione fluunt, sed adnumeratur trochaeus, neque dubitandum est, quin, qui primus metrorum derivationis disciplinam docuerit, versum sapphicum reduxerit ad trochaicum metrum, non ad archilochicum. Atilius deinde Fortunatianus primam versus caesuram trochaicam, sequentem iambicam esse (p. 294) cum Mario Victorino et Diomede consentit; sed p. 297 accuratius disserens cum caesuras appellet dimetron brachycatalecton trochaicum et dimetron hypercatalecton iambicum ita:

iam satis terris ni | vis atque dirae

differt ab aliis grammaticis, qui versum intercidunt post quintam syllabam, quos Horatius plerumque est secutus. Praeterea cum crebrius grammatici similitudine quadam decepti versus natura discrepantes ad comparationem arcesserent, hic quoque inducti sunt, ut hendecasyllabum sapphicum coniungerent cum hendecasyllabo alcaico, Atil. Fortun. VI, 297: 'huius si primam syllabam in ultimum transtuleris, facies hendecasyllabum sapphicum'; vel cum hendecasyllabo phalaecio commutatis dactylis, Mar. Victorin. p. 156, quod breviter hic commemorandum est.

---

1) Christ p. 19—21. Kiessling, Oden p. XI. R. Westphal, Metr. II p. 776 and.

Sed huic divisioni non respondet, quomodo grammatici pedes versus syllabis metiantur, nam dispertiunt aut per dipodias, quod fit plerumque[1]), ita: 'epitritus II (hippius II), choriambus, bacchius (amphibrachys)' Caes. Bass. p. 305. Mar. Victor. p. 162. 172. Diom. p. 519. frgm. Bobiens. VI, p. 629 (ubi legis pro epitrito II vel hippio II paeonem II!), aut per simplices pedes difficultate per syzygias scandendi evitata hoc modo: 'trochaeus, spondeus, dactylus, trochaeus, trochaeus', Mar. Victorin. p. 156. 162. Mall. Theodorus p. 591. Servius IV, p. 466. 468. Sed ut enumeratio mensurarum antiquarum sit perfecta et expleta, ne desit Diom. p. 521, ubi explicans metrum carminis I, 10 haec dicit: 'ex quibus unus constat ex duobus choriambis et bacchio — in hunc modum sunt sequentes duo', absurde nempe et falso. Sed nobis satis perspicuum conparet hoc: versui hendecasyllabo, cum constet ex semiquinaria trochaica et commate iambico, caesura est post quintam syllabam; haec nempe maxime adhibetur ab Horatio[2]), et cum habenda sit insignis ac principalis, causa est verborum compositionum, quibus poeta noster carmina exornavit.

Satis dictum est de versu sapphico, sequitur hendecasyllabus Alcaicus[3]). Hunc versum omnes, qui tradunt, consentiunt compositum esse duobus commatibus: 'penthemimeri iambica et dactylica' Servius IV, p. 466. 470. Secundum hanc rationem caesura certum locum obtinet post quintam syllabam neque quisquam inde a Caesio Basso, qui est antiquissimus auctor, usque ad Servium aliam derivationem affert, cf. Caes. Bass. p. 268. Atil. Fortun. p. 301. Mar. Victor. p. 166 fragm. Bobiens p. 629. Diom. p. 509. 521. Serv. p. 466. 470. Et quod attinet ad pedes definiendos, accommodari eos derivationi modo expositae cognoscimus, scanditur enim plerumque per simplices pedes hoc modo: 'duo iambi semipes | duo dactyli (dactylus et amphimacrus)' Caes. Bass. p. 306. Mar. Victor. p. 172. Mall. Theod. p. 591 ('iambus bacchius | duo dactyli'). Praeter hanc divisionem extat aeque

1) G. Hermann, elem. doctr. metr. p. 433.

2) G. Hermann, elem. p. 684.

3) Christ l. c. p. 19 sqq. Kiessling, Oden p. XI. Westphal, Metr. II p. 777. G. Hermann, elem. p. 686. Koechly, academische reden und vorträge I, p. 179.

atque in hendecasyllabo sapphico altera, quae versum metitur per syzygias ita: 'hippius III, ionius a maiore, dactylus vel amphimacrus'. Mar. Plot. p. 541. Diom. p. 520. Vides igitur in alcaico rem esse simplicissimam, cum nec duae derivandi rationes inter se differentes tradantur, ut in asclepiadeo, nec derivatio divisioque discrepent, sicut in sapphico.

Haec fere sunt, quae de antiqua tria nostra metra derivandi doctrina conferre potui; inde sequitur, ut versus asclepiadei partem superiorem esse penthemimeren dactylicam, versus sapphici esse penthemimeren trochaicam, versus alcaici esse penthemimeren iambicam grammatici voluerint, caesuramque esse ponendam et tenendam in asclepiadeo post sextam, in sapphico et alcaico post quintam syllabam. Hanc doctrinam Horatius certe cognitam habuit eaque diligenter usus est primus omnium, qui his metris carmina panxerunt. Quantum fecerit, satis constat. Itaque si penitus introimus in rem, errare non videmur dicentes doctrinam illam esse primam causam, quae compositiones illas substantivorum et adiectivorum caesuris adstrictas in carminibusque lyricis saepe et subtiliter adhibitas in lucem protulerit. Neque alia re inducti sumus, ut in hac quaestione plus operis laborisque consumeremus, nisi ut primam principalemque causam, quae fuisset compositionibus, indagaremus.

Sed haec quidem hactenus; tempus est ostendere, quantum in Horatii carminibus spatium singulae occupent. Qua re accurate cognita explanatum nobis esse poterit, quam vim auctoritatemque sibi poscat hoc genus formandi, utrum in diiudicanda canendi arte Flacci parvum valeat necne. Contemplemur igitur, si placet, formas I et II. Haec autem earum indoles est, ut duae voces, quae in prosa oratione usque coniunguntur, in carminibus seiungantur, idque non solum fit una voce intercedente, quod evenire solet in his formis I et II, sed etiam pluribus, quod occurrit in ceteris. Quid? nonne putare licet hunc usum poetis lyricis fuisse pro nostro homoioteleuto vel extremarum syllabarum simili sonitu, quem illi non curassent? Itaque non mirandum est, quod Horatius magna diligentia huic usui incubuit eoque duce, quantum fieri potuit, carmina com-

posuit. Quamobrem inprimis formam I (Illum si proprio | condidit horreo) saepissime usurpari videmus, nam in asclepiadeis, quorum numerus est 509, forma I extat nonagies quinquies — adnumerantur, qui versus praebent formas I^a et III^a — quo fit ratio $1:5^1/_3$; in 615 hendecasyllabis sapphicis extat centies duodecies, id est $1:5^1/_2$; in 634 hendecasyllabis alcaicis extat centies vicies bis, hoc est $1:5^1/_5$; ergo hic comparet ordo:

versus	asclepiadei	95 : 509	= $1:5^1/_3$
„	sapphici	112 : 615	= $1:5^1/_2$
„	alcaici	122 : 634	= $1:5^1/_5$

Saepissime igitur hanc formam locum habere in carminibus inde apparet, nec — nisi in eodem carmine nimis congeritur, quod fit in I, 1; I, 22; II, 13 — poeticum colorem sermonisque nitorem illa amplificari negandum est. Minus hoc accidit in forma II (Clarum Tyndaridae | sidus ab infimis), quae numero est inferior primum, quod magis secundum naturam est binos exitus respondere quam initia, deinde quod in initiis versuum non tam nomina quam particulas aut varias verbi finiti formas collocare solet poeta, tum quod forma II partem eorum nominum, quae omnino initia versuum occupant, concedere debet formae III. Unde sequitur, ut formae II numerus sit parvus, hoc est:

in asclepiadeis	21 : 509	= $1:24^1/_4$
in sapphicis	32 : 615	= $1:19^1/_5$
in alcaicis	42 : 634	= $1:15^1/_{10}$

Idem quod dictum est de hac forma, viget similiter in forma III, (Lesboum refugit | tendere barbiton), cuius rationes nunc enumerentur:

in asclepiadeis	45 : 509	= $1:11^1/_{11}$
in sapphicis	28 : 615	= $1:22$
in alcaicis	23 : 634	= $1:27^1/_2$

His formis, quae uno versu continentur, additae sunt duae in opusculi parte prima siglis I^a et III^a significatae; numerus earum hic sequatur sed ita, ut una tractentur:

in asclepiadeis	(21+17)	38 : 509	= $1:13^1/_2$
in sapphicis	(18+12)	30 : 615	= $1:20^1/_2$
in alcaicis	(13+24)	37 : 634	= $1:17^1/_7$

Habemus igitur quinque formas, quae in uno eodemque versu usurpantur, quarumque participes sunt omnes versus adhuc tractati. Quodsi summam facimus, evadit ratio $1 : 2^{2}/_{3}$ ita ut fere tertius quisque versus una vel altera harum compositionum instructus sit.

Sed hoc loco paucis verbis exponere non ineptum mihi esse videtur, quem ordinem servaverit Flaccus, quoties substantivo aliquo appositum sit adiectivum. Quam ad rem purae formae I exempla inspexisse satis erit: exemplorum igitur 264 fortuito adsumptorum in 205 adiectivum, in 59 substantivum praegreditur, quo fit ratio 7 : 2; atque omnino similiter in carminibus rem se habere confidere licet. Sed ad rem revertamur.

Disserendum iam nobis est de quinque illis formis, quatenus quidem non in singulis versibus coercentur, sed latius patentes ad binos vel, quod rarius accidit, ad plures versus pertinent. Significari vero eas supra siglo X memineris quaeso. Formae sunt variae, cuius rei imaginem praebeant haec lineamenta;

1——2 | 3——4

5 - 6 | 7 - - - - 8

ubi vocabulum numeri 1 coniungi potest cum 5. 6. 7. 8., cum iisdem 2 etc. Quas inter coniunctiones Horatius maximum studium contulit in hasce 3. 5 et 4. 6; de formis 1. 5 et 4. 8 cum antea actum sit, eae hic omittuntur. Reliquarum autem quantus sit numerus quaeque ratio si quaerimus, hoc comparet:

in asclepiadeis	41 : 241	=	1 : 6
in sapphicis	91 : 410	=	$1 : 4^{1}/_{2}$
in alcaicis	89 : 317	=	$1 : 3^{1}/_{2}$

Ex copia horum exemplorum singula adscribam, ne qua dubitatio supersit de illorum numerorum vi; itaque formis 1. 5 et 4. 8 postpositis haec sunto:

1. 6 = II, 3, 1. 2:

Aequam memento | rebus in arduis
Servare mentem, | non secus in bonis

1. 7 = III, 29, 25. 26:
Tu civitatem | quis deceat status
Curas et urbi | sollicitus times,
1. 8 = III, 29, 29. 30:
Prudens futuri | temporis exitum
Caliginosa | nocte premit deus,
2. 5 = I, 1, 11. 12:
Gaudentem patrios | findere sarculo
Agros Attalicis | condicionibus
2. 6 = II, 8, 10. 11:
Fallere et toto | taciturna noctis
Signa cum caelo | gelidaque divos
2. 7 = IV, 6, 21. 22;
Ni tuis flexus | Venerisque gratae
Vocibus divum | pater adnuisset
3. 5, 4. 6 = I, 1, 4. 5:
Collegisse iuvat, | metaque *fervidis*
Evitata *rotis* | palmaque nobilis
3. 6 = I, 12, 9. 10:
Arte materna | rapidos morantem
Fluminum lapsus | celeresque ventos,
3. 7 = I, 15, 14. 15:
Pectes caesariem, | grataque feminis
Inbelli cithara | carmina divides;
3. 8, 4. 7 = II, 9, 13. 14:
At non ter aevo | functus *amabilem*
Ploravit omnes | *Archilochum* senex.

4. 5 non est digna, cui proprium nomen formae detur, quod ex duabus vocibus locis 4 et 5 collocatis nulla alia interveniente constat; formae vero 2. 8 deest exemplum. Binas autem formas interdum in binos versus convenire ostendunt versus I, 1, 4. 5 et II, 9, 13. 14 modo adhibiti; idem spectatur in I, 9, 21. 22. III, 1, 21. 22. II, 2, 1. 2 etc.

Omnino formae X cum formis I^a^ et III^a^ maximum splendorem ornatumque carminibus afferre videntur. Certe formarum I^a^ et III^a^ numerus parvus est neque rem ita se habere mirandum nobis est cogitantibus Horatium non tam facile quam elegiarum poetas suos versus quippe breviores formis tam implicatis exor-

nare potuisse. Nam Flaccus, qui primus, ut Catulli duo carmina praetermittam, antiquorum poetarum Lesbiorum genus canendi litteris Latinis addidit, quamquam minus ingenio poetico animique ardore quam ratione et consilio inductus magna cum arte versus panxit, tamen summas nonnunquam ingentesque res in artorum versuum angustias compressit (cf. libri III carmina 2—6); et adhibendus ei erat sermo non mollis non volubilis sed durus et ad lene sonandum minus idoneus, quam mobilis habilisque ille Graecorum. Itaque interdum oratio repugnat metro, quod verborum compositionibus non commodo fuisse nemo erit qui neget.

Quibus de causis cum impedirentur formae I^a et III^a, quominus crebrius prodirent in singulis versibus, saepe eas poeta ad binos versus applicavit, sive ut cum formis X coeant sive per se positae legantur, conferas numeros: in omnibus enim versibus adhuc tractatis formae I^a exempla inveniuntur 153, formae III^a 135, summa est 288, qua si dividitur stropharum numerus 564, fit ratio 1:2; quibus si adduntur ceterae formae X omnesque leviores, de quibus satis dictum est, apparet certe usum, quo verba certis locis ad caesuram spectantibus collocantur, latissime patuisse, neque id evenire potuisse nisi caesura summa diligentia esset usurpata. In carminum enim libro IV, ubi in strophis sapphicis incisio post quintam syllabam saepius neglegitur, eam ob rem exemplorum numerus minuitur. At si quis dicat, ipsa caesura diligenter observata accidere oportuisse, ut voces ita componantur, neque id vel evitari potuisse, illius sententia in nullam aliam formam cadere possit nisi in formam I, sed haec quoque illud opprobrium reicit, quippe cum eius frequentia in singulis carminibus valde differat. De formis vero X et I^a et III^a valeat dictum hoc: quo maius latiusque est spatium, eo minus hae formae sua sponte oriuntur. Et poetae qui post Horatium in iisdem metris neglegentiores sunt versati, illum consilio verba ita composuisse affirmant.

Postremum facere non possum, quin de duobus systematis asclepiadeo metro et sapphico propinquis pauca verba faciam. Agitur vero de systemate asclepiadeo quinto et

sapphico altero[1]). Utrique duae incisiones sunt nusquam laesae uno loco excepto I, 18, 16, in quo caesura cadit in vocem 'per | lucidior'. Qua re cum unusquisque versus dividatur in tres partes, magis varias verborum compositiones oriri posse apparet. Sed versuum numerus, qui sit parvus (32), ne crescant formae neve se expandant, obstat. Quot quales existant, adnotabo; formae I sunt similes
I, 18, 7:

Ac ne quis modici | transiliat | munera Liberi,

cf. I, 18, 15; IV, 10, 2; atque IV, 10, 4:

Nunc et qui color est | puniceae | flore prior rosae,

cf. eiusdem carminis versus 5 et 8. In hoc numero sunt habendi etiam I, 8, 12 et 16, quod carmen alias formas, quae ad rem faciant, non praebet. In asclepiadeis praeter eas indagantur formae singulae hae

I, 11, 5:

Quae nunc oppositis | debilitat | pumicibus mare

et IV, 10, 2:

Insperata tuae | cum veniet | pluma superbiae

cf. I, 18, 8 IV, 10, 6:

Dicis 'heu', quotiens | te speculo | videris alterum.

Forma I instituti sunt I, 18, 15; IV, 10, 2 et 4; forma III^a I, 18, 1; formam III bis invenies I, 18, 1 et 4. Restant formae X, quae cum in asclepiadeo metro crebrae non sint — I, 11, 1. 2 'quem — finem', 2. 3 'Babylonios — honores'; I, 18, 11. 12: 'te — invitum', 8. 9 'rixa — debellata' — in carminis I, 8 hemistichiis octo sane crebro usurpantur, scilicet quinquies: 3. 4 'apricum — campum'; 5. 6. 'militares — aequales'; 6. 7 'lupatis — frenis'; 10. 11 'livida — bracchia'; 13. 14: 'marinae — Thetidis'. Huic quoque carmini proprium est, quod dactylus in medio versu utraque incisione saeptus una voce utique constituitur, si excipitur versus 10. At in asclepiadeo, ubi choriambus eodem

---

1) In appellandis systematis sequor rationem vulgarem, qua carmen I, 11 sit conditum metro asclepiadeo quinto, non sapphico altero, et carmen I, 8 metro sapphico altero, non anacreontio (A. Kiessling et L. Mueller in editionum praefationibus). W. Christ, Metrik der Griechen und Römer[2] p. 479.

modo collocatus est, quia vox quattuor syllabarum exigitur, hic usus minus floret, undecies enim id invenitur (hoc est 1 : 3).

Haec de asclepiadeo maiore sapphicoque altero. De ceteris metris ab Horatio in carminibus adhibitis, quae singula semel sunt allata aut quot spectant ad epodon librum, nihil habeo, quod addam; nam illa certum usum propter paucitatem non concesserunt, haec non attinent ad hanc quaestionem.

Denique noli admirari, quod anaphoram, epiphoram, chiasmum, alias orationis figuras, quae ad quaestionem de verborum compositionibus habitam sine dubio pertineant, equidem nimis neglexerim. Etenim cum Peters [1]) de illis satis accurate disputaverit, bis eadem de re agere supervacaneum est. Ubi vero, quantum alii poetae his figuris studuerint, exponam, ad Horatii usum ac rationem hic illic redibo.

Quae hactenus de Flacci ratione verba collocandi sunt dicta, sufficiant [2]). Explicare conatus, quae ratio componendi esset inter substantiva et adiectiva, demonstravi plerasque verborum compositiones caesuram attingere; exposui porro, quales essent, et quomodo antiqui grammatici in derivandis metris caesuras fixas reddidissent. Atque has observationes aliquid allaturas esse spero, ut Horatii usus ratioque verba componendi bene cognoscatur. Quae res omnino longe evidentius perspicitur, si comparatur cum eorum consuetudine qui et ante et post Horatium his metris carmina condiderunt.

---

1) Zur wortstellung in den oden des Horaz p. 6—11, 23—29.

2) Similia nonnulla in hendecasyllabo phalaecio observavit L. Friedlaender, Valerii Martialis epigrammaton libri I p. 29.

III.

Quantum principia litterarum Graecarum novimus, ab Homeri temporibus paene ad saeculum sextum ante Chr. n. nullum carmen ad manus est metro panctum aut asclepiadeo aut alcaico aut sapphico. Nec prius quam exitu saeculi septimi fuerunt duo poetae, qui primi per systemata diligenter exornateque studuerunt his metris, Alcaeus et Sappho, qui quamvis antea nemo eadem metra tractavisset, quantum scimus, artem perfectam absolutamque ostenderunt tantam, quantam posteris temporibus nusquam invenimus. Ac bene res se haberet, nisi carminum pars longe maxima perisset; in **Alcaei** fragmentis, quae sunt tradita [1]), extant versus asclepiadei minores 8, hendecasyllabi sapphici 7, hendecasyllabi alcaici 23, quibus accedunt versus nonnulli vel mutili vel valde corrupti atque alcaici pauci et enneasyllabi et decasyllabi singillatim traditi. Caesura quomodo se habeat, si quaeris, inter versus asclepiadeos octo incisum esse quater post syllabam sextam, inter alcaicos viginti tres incisum esse decies octies post quintam syllabam, sapphicos omnes accipere caesuram illam facile invenis, quam Horatianam vel nostram appellare liceat. Quomodo autem verborum compositiones se habent? Raro profecto eveniunt apud Alcaeum formae, quas in Horatii carminibus crebras observavimus. Quid hoc? tantum abest, ut formae inveniantur paucae, ut fere nullae. Ipse videas, quaeso: formae I exemplum omnino non adest et formae II duo exempla extant in versibus alcaicis, unum in asclepiadeis, haec sunt:

21. *Μελάγχρος αἴδως | ἄξιος εἰς πόλιν.*
22. *Λόφον τε σείων | κάρικον.*
33,2. *Λάβαν τῶ ξίφεος | χρυσοδέταν ἔχων.*

1) Poet. lyrici Graeci, rec. Bergk III, pg. 147 sqq. Alcaei Lesbiaci fragmenta, coll. Matthiae Lps. 1827. — Welcker in Iahn. annal. XII, 1830. In designandis versibus sequor Bergkium.

forma III occurrit in sapphicis semel:
5, 3: **Μαῖα γέννατο | Κρονίδᾳ μίγεισα.**
et in hendecasyllabis alcaicis semel:
23: Ἄνδρες πόληος | πύργος ἀρεύϊοι.
in asclepiadeis non ita. At alcaici decasyllabi novem, qui sunt, ter praeter opinionem hanc formam praebent:
18, 4: νᾶϊ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ
26, 2: ἄλμυρον ἐστυφέλιξε πόντον.
27, 2: αἴετον ἐξαπίνας φάνεντα.
formarum autem X, quae in Horatii carminibus fruuntur usu vel maximo, in Alcaei fragmentis unum exemplum adhibetur certum:
34, 6. 7: πῦρ, ἐν δὲ κίρναις | οἶνον ἀφειδέως
μέλιχρον, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ.
his paucis exemplis addi possunt denique duo versus, qui anaphorae formam ostendunt, sunt vero 18, 2. 3:

τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν | κῦμα κυλίνδεται
τὸ δ' ἔνθεν ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον.

(vide rythmum accentumque plane concinere, quod saepius observavi). Alias vero verba collocandi formas me explicare non posse doleo, nullae supersunt.

Producimur iam ad **Sapphus** fragmenta, quot extant [1]). Caesura si quaeritur, quae sit, fere eadem comparet atque in Alcaei versibus [2]). Nam inter hendecasyllabos sapphicos 62 incisum est post quintam syllabam tricies semel, post sextam decies sexies, omnino non decies quinquies, hoc est 1 : ($^1/_2$ + $^1/_8$), in tribus hendecasyllabis alcaicis, qui soli restant, caesura est suo loco. Versus autem asclepiadeus minor, qui unus evasit incolumis, caesuram Horatianam repudiat:

Φαῖσι δή ποτα Λήδαν ὐακίνθινον.

Et pro magno versuum sapphicorum numero nimirum conferuntur formae plures quam apud Alcaeum, habes igitur formas I has: frgm. 5, 3. — 7. — 16; forma II instructi sunt

1) Poet. lyr. Graeci, rec. Th. Bergk. III, p. 82sqq. Sapphonis fragmenta coll. C. F. Neue, Berol. 1827.

2) Nonnulla de hac re bene observavit Th. Birt in indice lectionum acad. Marburg. sem. hibern. 1887/88 pg. XII.

I, 11 — V, 2; forma III vero desideratur (cf. 5, 3). Formas autem X ab Alcaeo nimis neglectas existere tres videmus: I, 10. 11 — 2, 9. 10. — 26, 2. 3. — adde quoque I, 6. 7. 9, ubi participia *ἄισισα* — *λίποισα* — *ὑπαζεύξαισα* secundum Horatii rationem bene sunt disposita. Quibus in omnibus exemplis ne te fugiat, cave, adiectivum usque antecedere, sequi substantivum, uno excepto I, 10. 11. Neque numerum formarum esse tam parvum mirandum est, quia Sappho rarius Horatio substantivis apponit adiectiva, neque, ubi fit, ut seiungantur per aliam vocem, sed potius ut coniuncta collocentur, agit poetria.

Verum etiam anaphorae epiphoraeque quin unum saltem exemplum ederet, facere non potuit Sappho:

I, 21—23:

a a

καὶ γὰρ αἰ φεύγει, | ταχέως διώξει,
αἰ δὲ δῶρα μὴ | δέκετ' ἀλλὰ δώσει,
b b
αἰ δὲ μὴ φίλει, | ταχέως φιλήσει.

Sed quo numere fungitur versus adonius? Alio profecto, quam quod Flaccus ei detulit, nam vocibus paribus artius eum adstringi ad versum antecedentem, quod saepissime forma A apud Horatium fieri novimus, hic profecto nusquam inveni; contra interdum ita adonium institui iussit Sappho, ut eiusdem vocis pars altera esset hendecasyllabi antecedentis, altera adonii: 1, 11 — 2, 3 — 2, 11 — 12 — 19 — 20 [1]). Alcaici autem hendecasyllabi cum perpauci sint servati, formam aliquam singularem adfuturam esse vix sperare possumus, ac re vera nulla extat, nisi fragmentum 28, 1 dignum putamus quod adscribatur:

Αἰ δ' ἦχες ἔσλων | ἵμερον ἢ κάλων.

Quaestioni tamen finis nondum datur. Si quibus adhuc formis Horatianis studuerit Sappho, respicimus, neque unius versus initium finemque neque initia finesque versuum complurium vocibus, quae cohaererent aut pares essent, coniuncta

1) cf. Birt, l. l. p. XIII.

esse manifestum est; eo magis suspicionem movet, quod Sapphonis fragmentis inmixta reperitur haec stropha 26 (editionis Neuianae 135):

Κεῖνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῦσ', ἔνισπες
ὕμνον, ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς
Τήϊος χώρας ὃν ἄειδε τερπνῶς
πρέσβυς ἀγανός,

in qua compositio verborum a Sapphone aliena est et cum Bergkius quoque Athenaei testimonio adductus spuriam eam esse velit [1], iure dubitabimus, num sit Sapphus.

Quodsi in universum rationem comparari licet et Horatii et poetarum Lesbiacorum, apparet Romanum poetam id semper spectasse, ut eximiis verborum compositionibus magna ex parte expleret animum vel ingenium vere poeticum, Alcaeum vero Sapphonemque consilio ac voluntate postpositis talibus artificiis ingenio soli obtemperasse. Cuius rei nonne optimum est argumentum, quod voces singulari arte compositae Horatio maxime sunt propriae, Lesbiacis fere nihil? Huc accedit, quod caesura in poetarum Graecorum fragmentis, cum ad arbitrium sit tractata, non haeret eodem loco, ita ut toti canendi rationi mobile aliquid insit ac fluens. Quam ob rem sine dubio varias verborum compositiones Flaccus suis ipse legibus usus finxit excoluitque nulla ex parte obnoxius libertati poetarum Lesbiacorum.

Quaestiones vero hae non plenam sibi postulant auctoritatem fidemque, quod omnium carminum, quae ab his poetis sunt condita, perpauca sunt servata [2]), ita ut qualis fuerit eorum ratio in libris perditis, num forte caesura sit progressa, num saepius sint adhibitae compositiones verborum an minus, aegre suspicari nedum perlucide cognoscere possimus. Quod si fieri posset, bene se haberet. Verumtamen ex paucis reliquiis non solum poetarum usus canendi magna ex parte cognoscitur, sed etiam differentia, quae sit inter illos Horatiumque. Quid? quod illorum fragmenta silentio praeterire nullo modo licuit, cum in Graecorum litteris praeter Alcaei Sapphusque fragmenta nusquam profecto

---

1) Poet. lyr. Graec. III, 97.

2) cf. Atil. Fortunat. VI, 295.

memoriae sint traditi versus alcaici, sapphici minores, asclepiadei minores[1]). Una extat exceptio: Stobaeus enim in floril. VII, 13 servavit carmen per sapphicas strophas dispositum, quod quin **Melinno** poetria incerti aevi conscripserit, nemo iam dubitat. Ac Birtius l. l. pg. XII adn. 1 bene recteque observavit rationem versus incidendi (inter quindecim hendecasyllabos caesura cadit decies post quintam syllabam) esse parem ei quam adhibuit Horatius in carmine saeculari carminumque libro quarto, et in stropharum finibus sensum grammaticamque structuram utique terminari, ‘quae lex a Sapphone aliena fuit’, et binos versus nunquam uno vocabulo copulari, qui usus spectatur saepe apud Sapphonem, rarius apud Catullum, rarissime apud Flaccum. Quibus causis commotus iudicavit, ante Augusti aetatem non scriptum esse hoc carmen. Ab hoc vero non abhorrent, quae dicenda mihi sunt de vocabula collocandi usu ac ratione. Nam negandum nullo modo est Horatianam artem versus faciendi auctoritatem non parvam habuisse apud poetriam: quamvis enim compositio atque congestio vocabulorum appositorum, quales sint in v. 1. 2

Χαῖρε μοι Ῥώμα | θυγάτηρ Ἄρηος
χρυσεομίτρα | δαίφρων ἄνασσα

clare atque evidenter nos commonefaciant Sapphus (I, 1. 2.):

Ποικιλόθρον', ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
παῖ Δίος, δολόπλοκε, λίσσομαί σε

(huc spectant v. 17. 18:

σὺ μόνα κρατίστους
ἄνδρας αἰχματὰς | μεγάλους λοχεύεις),

rursus constructio vocabulorum in 3. 4:

σεμνὸν ἃ ναίεις | ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον
αἰὲν ἄθραυστον.

19. 20: *εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ανεῖσα*
καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν

inprimis forma I[a], cuius exemplum ante Horatium nusquam profecto conspexi:

6. *κῦδος ἀρρήκτω | βασιλῆον ἀρχᾶς*

---

1) cf. Atil. Fortunat. l. c. VI, 295.

scilicet significant Horatium. Itaque quin Birtio auctore hoc carmen aetate inter Horatium et Statium ponamus, verborum quoque compositiones non impediunt. Nihil habeo quod addam, cum praeter formas modo allatas aliae iam restent nullae.

Quaestio, quae fuit de Graecorum poetis, ad exitum adducta est, iam incipit agmen poetarum Romanorum, quod ducit Valerius **Catullus** Veronensis.

L. Mueller de re metrica p. 205 ita de Catullo disserit: 'porro in metro sapphico hendecasyllabo non potest dubitari Catullus, quin easdem affectarit incidendi leges, quas postea sanxit Horatius. nam e versibus triginta reperiuntur tres non amplius, quibus non post syllabam aut quintam aut sextam finiatur verbum. hi vero sunt tales, quae exempla a nominibus propriis sive verbis polysyllabis medio numero positis habere excusationem ne pueros quidem fugerit'. Non recte quidem omni ex parte, nam cum in Catulli triginta hendecasyllabis caesura et virilis et muliebris ter sit neglecta, — sive enim nominibus propriis sive verbis polysyllabis sive aliis vocibus est factum, non multum refert — contra in Horatii hendecasyllabis 615 fere nunquam (cf. III, 27, 10. IV, 11, 27), parvum saltem discrepare Flacci usum a Catulli 'ne pueros quidem fugerit'. At uni specimini XI, 11, 12:

Gallicum Rhenum, horribile aequor ulti-
mosque Britannos

respondent in Horatii strophis sapphicis quattuor I, 2, 19. 20. I, 25, 11. 12. II, 16, 7. 8. III, 27, 59. 60 et versibus hypermetris duobus in carmine XI, 19 et 22 respondent quinque II, 2, 18—16, 34. IV, 2, 22—23. carm. saec. 47. 48.

Porro Catulli carmina de caesura non cum Horatii melicorum prioribus libris, sed cum ultimo tantum comparari possunt. Itaque cum Catullus leges graviores severioresque observaverit poetis Lesbiacis, leviores Horatio, illi medium locum attribuamus inter Alcaeum Sapphonemque atque poetam Venusinum.

Similia proferri possunt de vocabula collocandi ratione. Nam habes easdem fere formas atque in Graecorum carminibus,

nec omnino saepius; forma enim II eget exemplo, ter adest forma III:

11, 10: Caesaris visens | monimenta magni,
11. 18: Quos simul complexa tenet trecentos,
51. 13: Otium, Catulle, tibi molestumst.

Forma X semel in binis versibus dupliciter occurrit: 51, 5. 6:

dulce ridentem, | *misero* quod omnis
eripit sensus | *mihi:* nam simul te,

His in compositionibus consentit Catullus cum melicis Graecis, sed quae sequuntur, transitum iam faciunt ad Horatium. Nam primo forma I bis adhibita est:

11, 2: Sive in extremos | penetrabit Indos,
11, 9: Sive trans altas | gradietur Alpes.

tum in Catulli strophis, ut adonius etiam vocabulorum ordine artius conectatur cum strophae versu tertio, factum esse conspicimus hoc modo:

11, 3. 4: Litus ut longe | resonante Eoa
Tunditur unda.
51, 15. 16: Otium et reges | prius et beatas
Perdidit urbes,

qua in forma Horatium familiariter esse versatum supra dictum est. Deinde quod anaphorae favet poeta Veronensis, propius accedit ad Horatium; inspicias, quaeso, iterationem illam vocabuli ‚sive' in 11, 2—9 'sive in — sive in — seu Sagas — sive qua — sive trans'.

51, 1. 2: Ille mi par esse deo videtur
Ille, si fas est, | superare divos,

denique 51, 13—15:

Otium, Catulle, tibi molestumst:
Otio exultas | nimiumque gestis.
Otium et reges | prius et beatas

(cf. Hor. II, 16, 1. 5. 6: 'otium divos — otium bello — otium Medi').

Hac vero quaestione idem, quod iam antea, iterum demonstratur, Catullum intercedere inter Graecos et vatem Augusteum, nam cum de licentia Lesbiorum aliquid dematur, tamen tantum relinquitur, ut versus evadant solutiores quam Horatii. Et

cum in mediis versibus certus fixusque finis non constituatur, initia exitusque versuum nimirum non praecique premuntur. Itaque sermo fluit velociter, egent voces singulari collocandi diligentia, compositiones, quae adhaerent incisionibus, iacent, formae II, I[a], III[a] sunt neglectae, forma I bis, forma III ter, forma X semel adsunt, nulla alia nisi anaphorae formaeque A exempla eadem copia fruuntur, quam Flaccus dare solitus est [1]).

Haec vero omnia plane commutantur, si inspiciuntur poetae, qui aetate subsequuntur Horatium.

---

1) Textus sumptus est ex editionibus L. Muelleri et L. Schwabii. — Catulli, Tibulli, Propertii carmina rec. L. Mueller, Lps. 1870. — Catulli Veronensis liber recogn. L. Schwabius. Berol. 1886. — Teuffel, hist. litt. Rom. § 214. — De Catulli vocabula collocandi ratione, qualis esset in hexametris, disputavit R. Fisch, de C. in vocabulis collocandis arte. Berol. 1875.

IV.

Temporibus, quae sunt ante Horatium, numerum versuum nostrorum esse exiguum modo docuimus, contrarium vero evenit, ex quo Horatius, qui primus Romanorum carmina his metris condita frequentavit, suo exemplo posteros induxit, ut se imitarentur. Nec desunt, qui paulo post primo saeculo post Chr. n. vestigia eius plus minusve presserint, frequentissime Seneca in tragoediis, parcius Statius in silvis.

Seneca[1]) vero hendecasyllabis alcaicis postpositis[2]), cum plerumque versus sapphicos minores *κατὰ στίχον* adhiberet, tantum in Medea tragoedia per strophas versus composuit, ita ut in vv. 579—606 trinis hendecasyllabis antecedentibus adderet adoneum, in vv. 607—669 octonis. Praeterea in quaestionem sumpsi, qui versus sunt in Herc. fur. 830—874, in Troad. 814—860, 1009—1055, in Phaedr. 274—324, 736—750, 1135, 1144, 1149—1153, in Oedip. 110—153, 416—527, in Thyest. 546—621, in Herc. fur. 1518—1605. Quibus accedunt asclepiadei minores versus in Herc. fur. 524—591, in Troad. 371—408, in Med. 56—109, in Phaedr. 753—823, 1127, 1128, in Thyest 122—175, in Herc. Oct. 104—172. Itaque habemus hendecasyllabos sapphicos 494, adonios 26, asclepiadeos 334. Quos omnes versus magna severitate Seneca primus ita fecit, ut sapphici post quintam syllabam, asclepiadei post sextam utique inciderentur, neque ullus est versus, qui huic legi obsistat. Sane Horatius eodem modo asclepiadeos instituit, sapphicos

---

1) L. Annaei Senecae tragoediae, rec. Fr. Leo. Berol. 1878. vol. I et II. L. Mueller, de re metrica p. 118—123. Zingerle, Zu späteren lat. dichtern. I. pg. 12—23. M. Hoche, Die metra des tragik. Seneca. Halle 1862. pg. 49 sqq.

2) 13 omnino leguntur per cantica dispersi.

autem eadem caesura perpetua non affecit. Atque lex illa Senecae, ut una eademque caesura ubique acciperetur, vim habuit apud omnes, qui postea his metris sunt usi. Quodsi versus hypermetros Seneca utique repudiat, neque ullus versus vocabuli finalis syllabas versui sequenti tradit, alterum versum alteri penitus aequum et parem esse liquet, etiamsi hic illic severae artis metricae leges paulum offendantur, cf. Med. 636:

Sumere innumeras | solitum figuras [1]).

Sed iam animum attendas ad verborum compositiones, num eaedem similesve extiterint, atque in Horatii carminibus. Et ut quomodo res se habeat, statim dicam, pro numero versuum omnes fere formas Seneca aliquanto saepius usurpavit quam Horatius [2]); inspice asclepiadeos, quorum 334 formam I (O fortuna viris | invida fortibus, Herc. fur. 524) praebent 76, hoc est 1 : $4^2/_5$ (Hor. 1 : $5^1/_3$), formam II (Uno tot populi | remige transeunt, Herc. fur. 557) ostendunt 22, id est 1:15 (Hor. 1:$24^1/_4$), formam III (Cantu nostra canet | tempora flebili Herc. Oet. 130) exhibent 27, hoc est 1 : $12^1/_3$ (Hor. 1 : 11), atque etiam formae I^a, III^a, X, quas praeter ceteras pulchritudine quadam ac concinnitate florere supra laudavi, singulari poetae favore fruuntur, nam formam I^a (Nulla est *Ioniis* | fabula *novibus*, Thyest. 143) obtinent versus 19, formam III^a (Non sic prata *novo* | *vere* decentia, Phaedr. 764) versus 16, hoc est 1 : $9^1/_2$ (Hor. 1 : 13); formarum quoque X, quas singulas adscribere nequeo, cum sint multiplices variaeque, exempla inveni 34, id est 1 : 5 (Hor. 1 : 6).

His numeris adiungam sapphicorum hendecasyllaborum rationem, quae non multum distat ab asclepiadeorum: forma I reperitur in versibus 148, quo fit ratio 148 : 494 = 1 : $3^1/_3$ (Hor. 1 : $5^1/_2$), forma II in versibus 41, = 1 : 12 (Hor. 1 : $19^1/_5$), forma III in 36 = 1 : $14^1/_4$ (Hor. 1 : 22), formae I^a et III^a in 52, = 1 : $9^1/_2$ (Hor. 1 : $20^1/_2$), formae X in 42, hoc est 1 : $7^5/_6$ (Hor. 1 : $4^1/_2$, qua una forma Horatium esse superiorem vides).

1) Exempla, quae insunt hendecasyllabis, congessit B. Schmidt, De emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis. Berol. 1860. p. 71 et 72. — M. Hoche, l. l. p. 54.

2) L. Mueller, praef. ad edit. Horat. minorem p. VII.

Sed aliae quoque extant formae, quas quamquam minorem auctoritatem sibi postulant, praetermittere mihi non licet, dico primum quidem, quibus aut initia aut exitus binorum versuum concinunt. Vero utriusque compositionis in asclepiadeis perpauca exempla promi possunt, nam leguntur Herc. fur. 572, 573:

quae silvas et aves | saxaque traxerat
ars, quae praebuerat | fluminibus moras,

Herc. Oet. 126, 127:

hac ducet pecudes | qua tepet obrutus
stratae quae superest | Oechaliae cinis,

in sapphicis autem initia concinunt septies, exitus ter (Troad. 1020, 21. Phadr. 746, 47. Thyest. 546, 47). Neque omittenda est forma III in hemistichiis collocata, quam apud Flaccum quoque interdum observavi, Troad. 400:

tempus vos avidum | devorat et chaos,

Medea 654:

omnibus vorax | sibi falsus uni;

parvus est exemplorum numerus, verum accuratius eam curavit poeta in prioribus hendecasyllaborum partibus, ubi posita est duodecies.

Porro cum adonius rarissime comitetur hendecasyllabos, formae, quae ad eum spectant, crebro nimirum prodire non possunt. Tamen cum studuerit Seneca, ut vocibus adonium cogeret cum versu antecedente, non solum forma A occurrit, et quidem quater, Med. 593, 94:

aut timet mortem: cupit ire in ipsos
obvius enses,

cf. 623, 24. Phaedr. 739, 40. Oed. 122, 23, sed etiam hae formae quas vocabo Y [1]), ut Troad. 824, 25:

misit infectos | Troiae ruinis
non semel arcus,

---

1) Ex comparatione formarum X, quibus duo verba in binis versibus plenis collocata significantur, littera Y in posterum liceat designare eas formas, quibus vox altera spectatur in versu aliquo proximo, altera in adonio aut glyconeo.

Med. 614, 15: exitu diro | temerata ponti
iura piavit,

cf. Thyest. 621, 22.

Oed. 427, 28:

qui bibit Gangen | niveumque quisquis
frangit Araxen.

Denique pauca addam de anaphora. Qua in adhibenda Horatium familiariter esse versatum supra exposui, nec Seneca superatur, nam eadem vocabula vel sibi similia contrariaque certis locis, hoc est in initiis versuum eorumque partium, saepe iterantur; exempla satis adsunt, Herc. fur. 577, 78:

deflent Eurydicen | Threiciae nurus
deflent et lacrimis | difficiles dei,

sed cum omnia perscribere longum sit, satis dictum puto invenisse me exempla quadraginta quattuor. Verumtamen pauca singularia adnotare placet, velut Herc. Oet. 154—158 (particulae 'et' atque 'non'), Troad. 386—88 ('quo'), Herc. fur. 838, 40, 42, 48, Thyest. 573—75 ('iam'), 613—16, Herc. Oet. 1521—25.

Apte hic sequuntur nonnullae aliae figurae, quae quod apud Senecam artis rhetoricae peritissimum occurunt, mirum non est. Cui figurarum generi adnumero has: Troad. 399:

spem ponant *avidi* | *solliciti* metum,

Phaedr. 1129:

Euros *excipiunt* | *excipiunt* Notos,

cf. in versibus Med. 584—85, 87, 90 positionem nominum propriorum.

Deinde quoties substantivum aliquod accipit adiectiva vel participia compluria, poeta bene disponere ea solet certis locis, cf. Med. 647—49 ('tener — puer — inrepertus — raptus — puer'), 599—602 ('ausus — immemor — iuvenis — furiosus — ipse'), Troad. 830—32. Thyest. 590—592. Med. 102—105 ('ereptus — solitus — trepidus — felix — sponse'). Sed ne his quidem exemplorum numerus ad finem perductus est. Figuram quoque allitterationis Seneca non spernit, vide modo versus Med. 579—83:

Nulla vis flammae | tumidive venti
tanta nec tali | metuenda torti
quanta cum coniux | viduata taedis
ardet et odit;

et cf. Oed. 132: funere funus.

Haec de compositionibus verborum. Si vero usum canendi sedulo ponderamus et Senecae et Horatii, recte Senecam ab Horatio descivisse monet Leo (I, 146), cum dicat: 'versiculorum fluentium sine vinculo ac dilabentium congeriem stropharum lege non coercuerit'. Nec commodo factum esse hoc puto versibus, qui sine dubio aliquid pulchritudinis amitterent. Idem senserunt poetae, qui paucis saeculis post hendecasyllabos sapphicos scribere coeperunt, cum Senecae rationem sibi iniucundam praetermitterent, ad Flaccum, optimum lyricorum Lesbiacorum interpretem, redirent. Contra in usurpandis vocabulorum compositionibus parvum interesse inter utrumque satis patet, quamquam plerumque formarum multitudine Annaei tragoediae praecellunt prae Flacci carminibus. Quapropter in vocabula collocandi ratione prorsus subiectus fuit Horatio Seneca, propiusque ad eum utique accedit quam posteri, qui, quamquam carmina per strophas disposita integra receperunt, alioquin aeque bene apteque atque Horatius et Seneca verba adornare non calluerunt.

Statius [1]).

Grosse [2]) disserens de 'accurata versuum fundendorum diligentia' Statii, sic rem perstringit pg. 38: 'neque versus lyrici in silvis ea legum severitate, qua Horatius usus est, in carminibus suis non continentur'. Ac recte quidem quamquam caesuram maiore quadam severitate Statius observavit Horatio, nam versus non adest, quin post quintam syllabam sit incisus. Ut vero Seneca primus hendecasyllabis sapphicis certam fixamque caesuram attribuit, ita hendecasyllabis alcaicis primus Statius. Qua re carent versus varietate adsumuntque severi aliquid

1) Publ. Pap. Statius, recogn. G. Queck. Lps. 1854. — P. Papinii Statii silvae rec. E. Bährens. Lps. 1876. — Zingerle, Zu später. lat. Dichtern. I, 23-26.

2) Observationum in Statii silvas specimen. Berol. 1861.

atque uniforme; atque cum caesura in eadem sede continuo perseveret, in ea etiam sententiae crebrius finem capere incipiunt, cf. IV, 5, 22. 30. 37. IV, 7, 14. 19. 31.

Semper vero verborum structura continetur una stropha nec carminis IV, 5 stropham sextam excludi velim, item prorsus desunt versus hypermetri nec unquam bini versus aut strophae elisione angustius conectuntur.

Inspiciamus autem, si placet, compositiones nominum; habes easdem formas paene omnes, quas apud Flaccum invenisti. Forma I vero in alcaicis non nimis est usurpata, ter enim legitur:

6: concessit altis | obruta solibus,

accedunt 18. 38.

Formae II exempla duo sunt ad manum, 1:

parvi beatus | ruris honoribus,

atque 50, forma III neglecta est.

In hendecasyllabis autem sapphicis paulum differt ratio, pro parvo enim versuum numero (42) saepissime invenis formam I, undecies, 1. 2. 10. 18. 21. 23. 26. 33. 37. 46. 47, ratio est 1 : 4 (Hor. 1 : 5½), formae II exemplorum numerus est idem atque antea: 2. 54, forma III semel spectatur, IV, 7, 49:

ille ut invicti | habitum secutus.

Formae quoque I^a et III^a si modo unius versus spatium non transgrediuntur, interdum irrepserunt, nam forma I^a in carmine quinto semel extat:

Qua prisca *Teucros* | Alba colit *lares*,

in carmine septimo ter: 26. 33. 37. Forma III^a in systemate alcaico ter reperitur: 5. 14. 49.

5: iam trux ad *Arctos* | *Parrhasias* hiems,

in sapphico non ita.

Immo saepius formas X legi delectamur, sive formarum I^a vel III^a speciem habent, sive sine ea existunt, et exemplorum, quae inveni sedecim, nonnulla promere sufficiet.

5, 21. 22: Sed terra *primis* | post patriam mihi
dilecta *curis*; | hic mea carmina

(5, 31. 32: messes *odoratis*que rara
cinnama praeripiet *Sabaeis*).

7, 49—51:

Ille ut invicti | *rapidum* secutus
Caesaris *fulmen* | **refugis** *amaram*
Sarmatis *legem* | dederit sub uno

cf. 5, 42. 44. ('contentus — secutus').

His formis adnumerari possunt duae, quae systemati alcaico sunt propriae: altera, qua strophae versus tertius duabus vocibus respondentibus saepitur, ut 19:

Unique se quando canenti

et 23;

altera, qua versus ultimus ita instituitur, 24:

Caesareo decoravit auro,

aeque vv. 28. 48. Horatium vero singulariter his studuisse memineris.

Omnibus autem his compositionibus si frequentiam spectamus poeta Venusinus Statium superat aut saltem adaequat, nisi quod una restat, qua est inferior, dico hanc, 3. 4:

differ, atque ingens | opus in minores
contrahe gyros,

eandem formam ostendunt 11. 12; 15. 16; 27. 28; 39. 40; 51. 52, quo fit ratio 6 : 14 = 1 : $2^1/_8$ (Hor. 1 : $3^2/_8$).

Pauca addam de anaphora, quae quod in carmine IV, 7 locum habet nullum, iure miramur, et in lucro ponendum est, quod in carmine IV, 5 duo saltem exempla comparent haec 5. 7. 8. ('iam'), 33. 35 ('quis'), cf. Hor. II, 1, 17. 19; IV, 15, 21. 23. 24; III, 5, 33. 35.

Quodsi denique, ut iudicium faciamus, quaeritur, quis sit Statii cum Horatio consensus, apertum est illum non solum inspexisse Flaccum ac nosse, verum etiam artem eius et rationem magnopere in rem suam convertisse [1]). Attamen Horatium arte et varietate singularum formarum non superavit, nec quamquam caesuram ad certum locum vinxit poeta,

---

1) G. Lühr, De P. Pap. Statio in silvis priorum poetarum Romanorum imitatore. Regim. 1880, pg. 5—26.

numerus formarum ita auctus est, ut pro copia versuum esset maior, quam qui est in Flacci carminibus.

Insequentibus temporibus num floruerit poesis lyrica perscrutantes statim cognoscimus, nullum memoratu dignum florem ibi esse enatum. Nam Frontone auctore ac duce ars rhetorica maximum valuit, antiquos vel antiquissimos imitandi cupiditas studiumque prohibebant, ne litterarum stirps novos surculos emitteret, iuris prudentia sola eximie elucebat, cui optimi viri accuratius studerent. Itaque metrorum nostrorum memoriam prorsus lapsam esse paene per se intellegitur. Atque haec sterilitas, quae valebat in artibus bonis, continuabatur per totum post Chr. n. saeculum tertium, quoad Diocletiano imperatore ad extremum est perducta. Vero demum ex quo religio christiana in dies maiorem auctoritatem adepta est, metra lyrica denuo oblivioni erepta sunt. Ac poetae christiani his carmina condere coeperunt, eaque re adducti duo quoque scriptores ethnici nonnulla similia proferre conati sunt.

Ac primus quidem fidei christianae addictorum **Ausonius** rhetor versus asclepiadeos sapphicosque composuit [1]).

Cuius in epistula VII, 2 versus 36—56 comparent asclepiadei, in quibus caesura nempe adest Horatiana neque unquam omittitur. Atque in formis simplicibus libenter versatus esse videtur poeta, nam inveni formae I exempla quinque, formae II tria, formae III tria. Formas autem aliquantum difficiliores I^a^ et III^a^ carmen ostendit perpaucas, cf. 36:

Iunctus *limicolis* | musculus *ostreis*,

54: furvam *lacticolor* | *sphongia* sepiam.

Idem observamus in adhibendis formis X, duae enim insunt: 38. 39; 50. 51; anaphora vero omnino non extat. Et statim dicam, quod ad sapphicos quoque versus pertinet, frustra te quaerere vocabulorum compositiones impeditas contortasque aut figuras rhetoricas. Simplex est sermo nec multum differt a prosa oratione.

Sapphicas strophas instruxit poeta has: Comment. profess.

---

1) Ausonii opera quae supersunt rec. Schenkl, mon. Germ. V, 2. — Zingerle l. l. I, 26 sqq. II, 47 sqq. — R. Rähse, de re metrica Ausonii. Berol. 1868, pg. 37, 38.

Burdigal. 8 et 9, IV Ephemeris 1, unde efficitur numerus stropharum et adoniorum 16, hendecasyllaborum 48. Verborum structura semper finitur simul cum stropharum exitu. Caesuram autem cum Ausonius nimirum induceret post quintam syllabam, versum I, 23 incisum esse post sextam syllabam prorsus merito miramur, nam nisi fallor, temporibus post Chr. n. rarissime reperitur versus, qui caesuram muliebrem ostendat. Formis vero poeta praeter alias favet I et III, illam usurpans novies (1 : $5^{1}/_{3}$), hanc quinquies, formam II praebent versus 8, 5 et 9, 5; formam I[a] v. 8, 13:

tu *meae* semper | socius *iuventae.*

Cum etiam formae X minime respectae sint, tres non plus afferri possunt: 8, 13. 14; 9, 14. 15; 1, 21. 22. Porro semel concinunt binorum versuum fines, I, 13. 14 ('quietem-manentem'), ac semel comparet anaphorae figura: 1, 17. 18 ('surge-surge') cf. Hor. III, 11, 37. 38. Maius autem studium dedit poeta formae, qua arte conectitur adonius cum strophae versiculo tertio, itaque praeter notissimae formae A exempla tria 9, 19. 20 — 1, 19. 20 — 8, 7. 8:

'abnuit umquam | quia gratum ad aures
esset amicas,

conspicimus tales compositiones (Y) 1, 7. 8:

multa quod potas | nimiaque caedis
mole saginam,

cf. 8, 3. 4; 1, 11. 12.

Sed priusquam finem faciam, facere mentionem iuvat rationis, qua adonius uno vocabulo contineatur, ut 8, 12 'grammaticorum', accedunt 9, 4; 9, 8; 1, 16.

Primum itaque si ad comparationem arcessiverimus Horatium, apparebit versibus carm. I, 12, 40; 30, 8; II, 6, 8, ubi particula 'que' versibus adhaeret, praetermissis, nullum profecto versum ab eo ita conformatum esse nisi solum IV, 11, 28 expletum nomine proprio 'Bellerophontem'. Quaeris forte, cur hic usus apud Ausonium posterosque, ut videbimus, obtineat? Causa sine magna difficultate perspicitur ea, quod cautius Flaccus complurium syllabarum voces in rem suam convertit,

posteri autem paululum expertes facti sunt sentiendi, quid bene pulchreque sonaret, quid minus.

Denique quamquam in universum certo affirmari potest, nullam post Horatium inveniri formam, qua non ipse sit usus, Ausonius quandam ostendit, quae apud Flaccum deest, dico talem, qua vox quae claudit stropham, eadem incipit stropham sequentem, puta 1, 4. 5:

Parmeno, dormis.
Dormiunt glires | hiemem perennem.

Parem positionem in sapphicis Horatius non exhibet, fortasse aliquam comparationem habent v. I, 2, 4. 5:

terruit urbem
terruit gentes, | grave ne rediret.

Prudentius [1]).

Obtinet principatum inter poetas christianos Aurelius Prudentius, qui cum variis metris varias res tractaret, versus quoque et asclepiadeos et sapphicos et alcaicos memoriae prodidit. Nec a veritate abhorret, quod nonnulli in his versibus aemulationem quandam agnoscendam esse Horatii sunt suspicati; sed nos quoque non perperam iudicare videmur dicentes, magna ex parte eandem artis et disciplinae rationem ab Horatio discrepantem in Prudentii lyricis cognosci, quam aequales posterique magis magisque exercuerint. Ea quae sit suo loco exponimus.

Strophas vero sapphicas usurpavit Aurelius in duobus carminibus: cathemerinon VIII ('hymnus post ieiunium') et peristephanon IV ('in honorem decem et octo martyrum Caesaraugustanorum') et item asclepiadeis minoribus duo carmina condidit, quorum alterum strophis constituit: cathem. V ('hymnus ad incensum lucernae'), alterum κατὰ στίχον condidit: praef. contr. Symmach. I, denique carmine peristeph. XIV ('passio Agnetis virginis') hendecasyllabos alcaicos 133 solute coniunxit (praefationem ad totum carminum librum consulto omisi).

---

1) Prudentii carmina ed. Dressel. Lps. 1860. — Migne, Patrol. lat. 59. 60.

Ubique vero caesura eadem est, quam apud Senecam Statiumque supra observavimus, nec ullum versum mihi ostendas, qui cum usitato modo discrepet, nisi perist. XIV, 20:

ultro referebat | non renuens mori,

ubi pes secundus una syllaba producitur.

Iam vero formarum I, II, III ratio, quomodo se habeat quinque illis in carminibus, primum quidem ostendam; est vero haec:

	in asclep.	in sapph.	in alcaic.	ap. Hor.
forma I	1 : $3\frac{1}{2}$	1 : $5\frac{2}{3}$	1 : 7	1 : $5\frac{1}{3}$
forma II	1 : 21	1 : $10\frac{1}{2}$	1 : 19	1 : 19
forma III	1 : $19\frac{1}{2}$	1 : $17\frac{1}{2}$	1 : 19	1 : 22,

in formis X talibus quidem, si singulae in binis versibus sint, haec fere habemus:

1 : 4	1 : 4	1 : 4	1 : $4\frac{1}{2}$.

His numeris formas I et X apud Prudentium Horatiumque eadem fere observantia curari discimus, contra Aurelium maiorem quandam diligentiam convertisse ad formas II et III. Quae restant formae I^a et III^a, quod aliquantum sint neglectae, sane dolet; sed enim optime earum I^a saltem iu sapphicis culta est, cum adhiberetur terdecies; alioquin exemplorum numerum statuere possumus hunc: I^a in asclepiadeis = 8, in alc. = 1; III^a in sapph. = 3, in asclep. = 6, in alc. = 3. Porro etiam hemistichia poetae curae fuisse plane patet, ut ea quoque instrueret forma III, videas cathem. V, 74:

fluctus per medios | agmina regia,

perist. IV, 74:

debitam sacris, | chorus unde surgens,

alterius compositionis exempla erui 18, alterius 19. Formae autem Y strophis sapphicis propriae vicies quinquies in utroque carmine leguntur, quibus addita sunt formae A exempla, cf. cathem. VIII, 35. 36:

vellus adfixis | febribus per hirtae
devia silvae.

Sed cum de adonio nunc maxime agatur, etiam Prudentium nonnunquam adonium uno vocabulo constare fecisse hic monendum est, quod factum est octies. Perraro autem substantivum

cum adiectivo suo aut in initiis binorum versuum aut in finibus collocatur; coniunctas has formas videre potes in perist. IV, 1. 2:

Bis novem noster | populus *sub uno*
Martyrum servat | cineres *sepulcro.*

Reliquum est, ut pauca verba faciam de compositionibus, quot binorum versuum spatio non concluduntur, cum non una appositio, sed plures substantivo in initiis finibusque totius versus vel hemistichii addantur; huc spectant cathem. V, 69—71 ('pubes — decolor — invitata — sitiens'), perist. XIV, 11—15 ('puellulam — calentem — renisam — addicta — temptata'), perist. IV, 9—11; 49—52.

Omnino vero facere non possum quin pronuntiem poemata haec laborare inopia compositionum egregiarum, quibus Horatius versus exornaverit sive vocabulum quoddam praeter cetera tollere, sive chiasmo, anaphora, epiphora, aliis figuris sermonem ad singularem splendorem vocare voluit. Iniuriam autem faceremus Prudentio, si omnia haec prorsus deesse diceremus, nam hic illic anaphorae exempla occurrunt, cf. cathem. V, 151—154:

lucem qua tribuis | nil pretiosius
lucem qua reliqua | praemia cernimus.
a a a b a b
Tu lux vera oculis, | ***lux*** quoque sensibus
a a
Intus *tu* **speculum** | *tu* **speculum** foris.

cf. eiusdem carminis vv. 51, 159, 17—20. praef. contr. Symm. 62—64 ('vix'), 81—82. cathem. VIII, 40. 41. perist. IV, 71. 72:

Christus in totis | habitat plateis
Christus ubique est.

cf. 116. 117; 57. 59; 97. 101; 157. 58. perist. XIV, 16. 17; ('nunc'), 107, 112, 124; quibus adde chiasmi exemplum v. 2:

fortis *puellae* | *martyris* inclitae.

Quodsi denique Prudentii artem ac disciplinam studiose diligenterque perscrutor, cum Dresselio prorsus me consentire confiteor, cum dicat in prolegomenis editionis pg. XIX: equidem re maturius pensitata Prudentium in primorum

christianorum poetarum choro primum collocandum dixerim'. Enimvero et in vocabulis ponendis proxime ad Horatium accessit et plurimos versus metris Horatianis conscripsit et proprietates communes duxit cum aequalibus has: caesura certo loco riguit, quo saepenumero aut graviter aut leviter interpungitur, verborum structura grammatica unius strophae spatio concluditur nec transgreditur in alteram, figurae rhetoricae numerose adesse desinunt, formarum pars crebrius pars rarius in lucem profertur. Haec de Prudentio, sequitur discipulus

Paulinus[1]) Burdigalensis Nolae episcopus, qui initio saeculi V epistulam per strophas sapphicas 85 scripsit ad Nicetam episcopum redeuntem in Daciam (poema XVII). Moremur paulisper in hoc carmine. Caesura nempe pure terseque utique adhibita est post quintam syllabam, semel tantum elisio illo loco extat, v. 210:

Semper a bello indomiti negarunt.

Inter vocabulorum vero positiones maxime elucent, quae adonium versum cum antecedente hendecasyllabo artius conectunt (formae Y), neque quisquam omnino fuit, qui tam studiose illas accuraret. Itaque omnes formae, quae evenire possunt, non parce leguntur, inprimis autem conferas 3. 4; 23. 24; 39. 40; 55. 56; 123. 24; 283. 284, quibus accedunt, qui hanc speciem ostendunt 197—200:

gaudiis tellus | ubi tu rigentes
edoces Christo | fera colla miti
subdere gentes,

et 214—216, 146—148. Atque totus formarum harum numerus exemplis sedecim formae A (27. 28:

et levis spiret | sine nube siccis
aura Calabris)

adiectis computatur 54, hoc est paene 1 : 1½.

Nemo profecto est, qui huic similem rationem praebeat. Sed in colendas formas X cum minorem diligentiam impenderit poeta, et numerus et varietas minuitur, itaque exempla collegi 23, quorum sex utuntur hac forma, 31. 32:

---

1) Migne, Patrol. lat. 61. pg. 483.

per sacramentum | crucis, unda misso
dulcuit ligno | posuitque tristes.

Formae autem simplices II et III perraro sunt usurpatae, altera enim sexies, altera septies spectatur, forma vero I saepius profecto, dico decies septies, quo fit 1 : 9¹/₈ (Hor. 1 : 5¹/₂). Formae quoque Iª perpauca exempla offeruntur tria, formae IIIª undecim; quodsi denique binorum versuum initia semel (130. 31), exitus bis (205. 206. — 277. 78) concinere commemoratum est, nihil obstat, quin summatim formarum quaestio concludatur. Sed tamen nonnulla sunt addenda; nam cum apud omnes post Flaccum verborum structuram simul cum strophis finiri memineris, certe miraris, quod huic legi non obtemperatur in versibus 59—61:

quem tui dudum | populi fatigant
nocte die**que**
se reposcentes | ut ager levandis,

atque 176. 77, ubi exigua interpunctio strophas secernit; nec multa talia afferre possis. Porro adonium, quem ab Ausonio nonnunquam uno vocabulo compositum conspeximus, semel ita Paulinus quoque instituit, v. 20:

Thessalonicen.

Complura nomina uni et eidem substantivo subiuncta interdum bene apteque certis locis per totam stropham dispertiit poeta, cf. v. 333—36 ('antistes — hospes — consors — accola') huc spectant versus 9—11 et 273—76. Nec alioquin formae artificiosae repudiantur, cuius rei egregium documentum poeta praebet, cum in duobus versibus anaphoram cum epiphora coniunctam edat, 72. 73:

Odimus quamvis | sed easdem *amamus*
odimus quod te | retrahunt *amamus*;

quin etiam aucta est quodammodo ars in 225. 26:

a b
mos *ubi* quondam | fuerat ferarum
b a
nunc *ibi* ritus | viget angelorum

cf. 295. 96:

corporis **vita** | moriente **vita**
vivet *amoris*,

321. 22:

a b
non enim u n i u s | ————

b a
sed nec u n i u s | ————

anaphorae figura praeterea comparet in 14. 15 ('quos — quos') — 17. 18 ('ibis — ibis') — 62. 63 ('cum — cum') 170 ('sit — sit').

Proximus scripsit hendecasyllabos alcaicos et asclepiadeos minores *κατὰ στίχον* C l a u d i u s **Claudianus** in fescenninis, quae composuit in nuptias Honorii Augusti et Mariae, I et IV. Ac ratio qua compositionum formae adhibentur, non minima ex parte adspirat ad Statii et Senecae usum, sed tamen suam viam est persecutus Claudianus, cum ad formam III eandem diligentiam curamque converteret atque ad formam I, quod aliter nusquam occurrit. Itaque formarum ratio se habet ita:

	form. I	II	III	Ia	IIIa	X
in alc.	**1 : 3 3/4**	**1 : 8**	**1 : 3 3/4**	**1 : 14**	**1 : 20 1/2**	**1 : 4**
in asclep.	**1 : 4**	**0**	**1 : 4**	**1 : 37**	**1 : 37**	**1 : 9**

Caesuram quidem assidue suo loco integram legis, sed interpunctiones illic reperis fere nullas. At versus non pauci colligi possunt, in quibus voces aut eaedem aut similes inter se respondent chiasmi figura interdum adiuvante. Videas mihi haec: IV, 9. 10:

a a
Si fronti *caveat* | **si** *timeat* rubos

b b
Armat *spina* r o s a s | m e l l a tegunt *apes,*

item per binos versus: I, 4. 5:

a 1 α b 2 β
Q u a e *digna* **mentis** | l a u s *erit* **arduae**

a 1 α b 2 || β
Q u a e *digna* **formae** | l a u s *erit* **igneae,**

I, 8. 9:

a b
Victum fatetur | D e l o s *Apollinem*

b a
Credit minorem | L y d i a *Liberum,*

I, 16. 17:

a b
Venus reversum | spernat *Adonidem*
b a
Damnat reductum | Cynthia *Virbium;*

IV, 33. 34:

a b c
Passim cum ducibus | *ludite* milites
a b c
Passim cum pueris | *ludite* virgines,

IV, 35. 36:

a
Haec vox aetheriis | intonet axibus
b b a
Haec vox per populos | per mare transeat.

Haec itaque appellari potest altera Claudiani proprietas, cum primus ad tantam figurarum illarum varietatem copiamque versus redegerit, nec quisquam postea fuit, qui similia protulit nisi Asclepiadius, qui hoc usu Claudianum etiam superavit.

Denique anaphorae exempla simplicia adnotem, quae praebent versus I, 25—27. 29 ('quis') IV, 3. 3 ('iam'), 19. 20 ('quam').

Iisdem temporibus Severus Sanctus **Endelechius**[1]) rhetor, Paulini Nolani amicus, (cf. Paul. epist. 28, 6) 33 strophas metro asclepiadeo illo condidit, quo asclepiadei minores tres cum glyconeo claudente stropham conficiunt, cf. Hor. I, 6[2]).

Usus vero verba collocandi in hoc carmine bucolico interdum discrepat cum Horatiano: caesura nempe post sextam syllabam utique integra constat; ita autem proprie hic locus a poeta tractatur, ut illic novies graviter, vicies sexies leviter

---

1) Migne, Patrol. lat. 19, 788. — Wernsdorf, poet. lat. min. II, 218. — Riese, Anth. lat. 893.

2) L. Mueller de re metrica p. 118 praeter sapphicas strophas 'aliena eiusdem Horatii systemata tetrastropha' se invenisse nulla 'nisi semel alcaicum Statii Severi choriambicum' dicit. Sed desidero Vestricii Spurinnae carmen IV, quod quamquam valde est depravatum et suspectum, hoc loco celare non licuit, neque intellego, qua de causa vir doctissimus id reticuerit, cum carmen fugisse eum arbitrari nequeam. Strophas vero alcaicas ne ego quidem usquam alias legi, ac recte iudicat Mueller.

interpungatur; porro suam quaeque verborum structuram stropha exhibet, nullam communem cum sequente, cf. Hor. carm. III, 10, 16. Glyconeus quoque versus nonnunquam per se positus et ab asclepiadeorum structura solutus inducitur, v. 4 — 8 — 20 — 32 — 44 — 96; nonnunquam sententia ultro ponderosa instructi sunt, ut v. 12: 'prodest sermo doloribus', v. 80: 'post mortem pietas viget', cf. Hor. carm. III, 16, 28; IV, 5, 20. 24; 12, 28. Circumveniunt autem glyconeum duae voces cohaerentes quinquies; formae Y extant solae in 35. 36 — 70. 71.

Ex formis autem principalibus in maximo usu sunt I (11 = 1:9); III (10 = 1:10); III^a (7 = 1:14); X (6 = 1:11), raro leguntur II (2) et I^a (3). Forma III in hemistichio priore subnascitur quinquies, in altero bis. Alias compositiones memoratu dignas affere possum paucas; fortasse in hoc numero habendae sunt hae: 31:

Nec languere sinit | nec patitur moras

ac simili modo ponuntur 'vidi — vidi' in 62. 63, in 54 respondent inter se 'tuis — meis'. Bene vocabula disposita sunt in 37. 38. Denique sonum litterarum audi mihi in v. 97:

Quidnam, **qu**aeso, **qu**id est | **qu**od vario modo.

Itaque Endelechium eandem fere componendi rationem applicasse vocibus et versibus et strophis asclepiadeis, quam aequales sapphicis alcaicisque, ex his quae dicta sunt, liquide apparet.

Rationem vero prorsus aliam ostendit **Martianus Capella,** qui eadem fere aetate in novem libris 'de nuptiis Philologiae et Mercurii' nonaginta duos asclepiadeos dodecasyllabos *κατὰ στίχον* condidit, p. 25, 34, 341 [1]). Ac caesura quidem, cum severae aevi Neroniani legi adaptata sit, post sextam usque syllabam pura conspicitur duobus versibus 34, 9 et 11 exceptis, ubi elisio cadit in caesurae sedem. Neque usquam hoc loco sensus aut structura grammatica finem capit nec omnino illic leviter interpungitur, nisi in 341, 7, cuius rei contrarium in Endelechii carmine observavimus. Martianum vero primum ac solum resolvisse primi pedis syllabam secundam octiesque hac nova versus forma usum esse, recte exposuit F. Stange [2]).

1) Paginarum versuumque numeri sunt editionis Eyssenhardtii, Lips. 1866.

2) de re metrica Martiani Capellae. Lps. 1882, p. 31.

Sed satis de re metrica, inspiciamus quas verborum compositiones exercuerit scriptor. Et statim apparet studuisse eum diligentius duabus tantum illis formis I et III, nam forma I induit versus 23 (ratio = 1 : 4), forma III versus 5 (ratio = 1 : 18); ut vero de formis II, I[a], III[a], X accuratius disputetur, opus non est, cum nulla saepius quam semel bisve appareat. Fortasse notabiles videantur esse voces 'ligans — aggerans' (34, 10. 11), qui formam X praebent et versus 341, 23, qui hanc figuram offert:

alternisque *regit* | et *regitur* polis.

At in anaphoram maiorem quandam diligentiam et curam impendit Capella, quamquam singularem artem exempla non testantur, etenim versus 25, 26—29 et 341, 21. 24. 25 eadem monosyllaba in initiis binorum vel ternorum versuum paene impolite inculteque iterari demonstrant. Paulum vero illis praestat versus 342, 1

tu *rector* superum | tu *pater* optimus.

Itaque recte iudicet, qui versus Martiani in verborum ordine haud sane perpolitos esse et poetico splendore egere censeat. Denique dicatur allitterationis figuram in primo carmine saepius, in altero tertioque perraro reperiri.

Martianus Capella agmen claudit scriptorum, qui accuratam quaestionem sibi postulant. Nam succedente temporis spatio litterae ac mores Romanorum perire coeperunt, cum gentes barbarae regnum Romanum ad occidentem vergens penitus delerent. Simul sensus sermonis puri et latinitatis dilapsus est, nec fuerunt, qui summo ingenio ac vi animi praediti linguam ad veterem pulchritudinem et elegantiam reducere possent. Itaque huius aetatis litteris satis fecisse me puto, si egregios memoratuque dignos poetas ad quaestionem contulero. Quorum agmen ducat **Sidonius Apollinaris**[1]).

Carmen, quod unum Arvernorum episcopus asclepiadeis minoribus instituit, legitur ep. 9, 13; strophas sapphicas composuit 21, ep. 9, 16. Ac statim notabilis et conspicua est inopia formarum II (semel in 9, 13), III (omnino 3), I[a] (semel),

1) Oeuvres de Sidoine Apollinaire par E. Baret. Par. 1878. — Migne, patrol. lat. 58.

III^a (ter); formae autem I exempla extant in 9, 13 = 4 (1 : 7), in 9, 16 = 12 (1 : 5¼), formae X in 9, 13 = 2 (1 : 7), in 9, 16 = 6 (1 : 7). Alioquin cum poetis christianis consentit, cum caesura Horatiana, quam appellaverim, assidue sit observata, et in hendecasyllabis stropha suam quaeque structuram compleat, discrepat autem cum illis, quod in 9, 13 nusquam, in 9, 16 rarissime interpunctio gravis cadit in caesurae sedem. Usum vero, quo adonius uno vocabulo conformatur, non modo non repudiat — quattuor exempla insunt in ep. 9, 16 — sed etiam infert hemistichiis saphicis bis, asclepiadeis quinquies. In formis quoque Y, quibus adonius accrescit ad hendecasyllabum antecedentem, studiose versatus est poeta; exempla inveni 10, quorum formae A obtingunt quattuor.

Reliquum est, ut singulares paucas compositiones afferam, quae formis modo tractatis nullo modo adnumerari possunt; sunt vero hae (chiasmi figura exornatae), 9, 13, 15:

Priscis *difficile* est | *difficile* et mihi;
28: In primis *rigidus* | *mollis* in ultimis.

cf. 10. 11.

Bene etiam dispositae sunt voces in 9, 16, 37—40 ('suetus — celer — creber — rarus'), cf. 17—19; 65—70. Allitteratione quoque interdum abusus est Apollinaris, observa praeter ceteros versum 9, 16, 41:

Nec recordari | **queo quanta quondam**

cf. 12, 47.

Haec de Sidonio; atqui iam hoc loco confiteri possumus hanc poetae rationem verba collocandi quam vidisti apud plerosque, qui sequuntur, valere; proprietates autem rationis conspiciuntur liquido eae, quod formae II, III, I^a, III^a, X exiliter in conspectum veniunt, et anaphorae chiasmique figurae exiguum sobriumque usum praebent. At interdum aliquis ab hac consuetudine discedit, cum aut proprias vias ingrediatur aut priorum usum resumat.

In hoc numero habendus est **Boethius**[1]), qui alienam fere adhibendi et metra et formas rationem valdeque

1) Boetii consolationes rec. R. Peiper. Lps. 1871.

discrepantem ab aequalibus induxit, nec video, quem parem ei nuntiem nisi Senecam, qui solus eadem licentia versus natura diversos in unum metrum confudit. Itaque invenimus asclepiadeos minores in vicem coniunctos cum pherecrateis (II, 2) aut dimetris iambicis (III, 8). Hendecasyllabos sapphicos κατὰ στίχον continuavit Boethius II, 6 et IV, 7 (uno claudente adonio) conexuitque cum hendecasyllabis phalaeciis III, 10, cum glyconeis II, 3. Verum non solum metrorum electione Boethius adaequat Senecam, sed etiam usurpandis elocutionis formis, nam nonnullis Horatium multum superat; modo observa numerorum rationem: forma I apud eum in asclep. 1 : **3**, in sapph. 1 : **2**1/3, formae X in sapph. 1 : **3**, in ascl. nimirum usurpari non possunt. In ceteris formis differentia inter tres poetas vix deprehenditur praeter formam III glyconeis impositam, quae in novem versibus quinquies extat (flammis stella prementibus). Ceterum caesura post quintam syllabam in sapphicis, post sextam in asclepiadeis ubique collocata est.

Docemur vero hac observatione Boethium, cum omni ex parte aemulatus sit Senecam, plurimum differre ab omnibus, qui post Ausonium carmina nostris metris condiderunt. Nec Boethio ortus est discipulus aut imitator, sed usitata et communis ratio inde recepta duravit.

Postquam sermo incidit in Boethium, restat ut breviter de Ennodii, Venantii, Gregoris Papae carminibus huc spectantibus disputetur. Sed priusquam hanc disputationem adeamus, liceat afferre carmina asclepiadeo metro aut sapphico pancta, quae in anthologiis latinis dissipata leguntur; nec impedimento esse arbitror, quod aetate plus minusve inter se differant.

Sunt vero carmina sapphica

Sulpicii Luperci et **Phocae** (praef. ad vitam Vergilii) [1]) ex quibus Sulpicii carmen comprehendit strophas tres, Phocae strophas sex. Et caesura quidem ubique conspicitur virilis

1) Wernsdorf poet. lat. min. III, 408 et 410. — A. Riese anth. lat. 648 et 671. E. Bährens, poet. lat. min. IV, 107; V, 85.

excepto versu primo Sulpicii, qui exhibet muliebrem hac aetate rarissimam:

Omne quod natura | parens creavit.

Praeterea leguntur in Riesii anth. lat. 287 sqq. (cf. E. Bährens IV, p. 386 sqq.) compluria carmina sub nomine **Luxorii** tradita, quorum metro asclepiadeo utuntur carmina 269, 314, 316, 323, 356, 361, quo fit versuum numerus 48; hendecasyllabi autem *κατὰ στίχον* conscripti sunt 33 in carminibus 294, 311, 3-6, 358. Quorum omnium solus versus 294, 8 longa quadam voce oneratus omnem caesuram respuit:

Dignus inter grammaticos vocari.

Deinde huc spectant duo carmina versibus asclepiadeis minoribus *κατὰ στίχον* condita, quorum alterum 'de fortuna' **Asclepiadium** [1]) auctorem ducit, qui in numero XII sapientium putatur, alterum **incerti auctoris** inscribitur '**de Arzugitano vate**' [2]). Utrumque vero verborum compositionibus valde differt, atque id tantum commune et par eis est, quod caesuram exhibent semper Horatianam.

Quae vero verba collocandi ratio illis insit carminibus, haec tabula doceat:

	Numerus versuum	forma I	forma II	forma III	forma Ia	form. IIIa
Sulpicius	hendec. sapph. 9	1 : 3	0	0	1 : 9	1 : 9
Phocas	hendec. sapph. 18	1 : 4½	0	0	0	0
Luxorius	asclep 48	1 : 4⅓	1 : 24	1 : 24	1 : 24	0
„	hend. sapph. 33	1 : 8¼	1 : 16½	1 : 16½	0	0
Asclepiadius	asclep. 15	0	0	0	0	0
de Arzugitano	asclep. 12	1 : 4	0	1 : 6	0	1 : 12

1) Wernsdorf III, 386. Riese 629. Bährens IV, 149.
2) Wernsdorf III, 417. Riese 131. Bährens IV, 303.

Ceterae quoque formae in universum raro exhibentur, nam formae X in Sulpicii carmine desunt, in Phocae ter leguntur. Paulini vero nos commonefacit Sulpicii usus, quo singuli adonii per formam Y cum antecedente hendecasyllabo coniuncti sunt (versus 7. 8 etiam bis), idem vero in Phocae carmine fit semel. At anaphorae et chiasmi exempla notanda non inveni.

In versibus autem, quos panxit Luxorius, omnino non plus ter conspiciuntur formae X. Anaphorae quoque exemplis singulariumque compositionum haudquaquam abundant poemata, nam solus versus 323, 8 fortasse dignus est, qui adscribatur:

In *luxum* cupere | sed *maye* vendere.

Sed in exitibus versuum 358, 9. 10 prave traditis *παρονομασίαν* deleri aegre ferimus. Carmen 314 nullam profecto formarum similium ostendere potest.

Singularem locum obtinet Asclepiadii carmen, nam quas formas ab omnibus vatibus usurpari videmus, in priore carmine nullo modo eveniunt. Etenim formae I, II, III, I[a], III[a] desunt, quod supra est demonstratum; formae X quoque exemplum purum et emendatum vix investiges. At compositiones, quae pertinent ad anaphoram et chiasmum similesque, ita sunt acervatae, ut fere nullus versus careat vel una vel altera. Itaque huic rei propositoque opportunum certe est, carmen formis propriis designatis totum adscribere:

O Fortuna potens | et nimium levis,
Tantum iuris atrox | qua tibi vindicas,
Evertisque *bonos,* | **erigis** *inprobos,*
Nec servare potes | muneribus fidem.
a b
Fortuna *immeritos* | auget **honoribus,**
| | b a
Fortuna *innocuos* | **cladibus** afficit.
c d | β | α
Iustos *illa* viros | **pauperie** gravat,
c d β α
Indignos *eadem* | **divitiis** beat.
e f e f
Haec aufert iuvenes | ac retinet senes,

Iniusto arbitrio | tempora **dividens.**
Quod *dignis* adimit | transit ad *impios.*
g h g h
Nec discrimen habet | rectave iudicat
x x x x
Inconstans fragilis | perfida lubrica.
i k
(Nec quos clarificat, | *perpetuo* fovet,
|| i|| || ||k
Nec quos deseruit, | *perpetuo* premit.)

Conferantur Ausonius et Claudianus, qui parcius ad parem usum contenderunt.

Alterum vero carmen, quod est 'de Arzugitano' ex contrario his formis penitus repudiatis usitatam et notissimam formam I ter, formas III, III[a] (cf. tabulam supra additam), X semel aut bis exhibet. Ergo secundum communem rationem id compositum esse ex his sequitur.

Vestricius Spurinna.

Sequuntur [1]) in Riesii anthologia (918—21) trium carminum fragmenta metro asclepiadeo secundo, unius metro asclepiadeo tertio scripta, quae primus Caspar Barthius 'Martispurgi inter rudera bibliothecae disiectae et contemtae in membranis veteris codicis invenit' [2]). Auctorem vero nominant carmina Vestricium Spurinam, virum nobilem et praeclarum aevi Domitiani, quem lyricorum poetam esse insignem praeter ceteros Plinius potissimum epist. III, 1 laudat.

Quamvis autem Axtius [3]) Vestricii esse illa fragmenta demonstrare conatus sit, tamen ceteri ea Spurinnae nomini nullo modo esse addicenda consentiunt, sive Vestricii temporibus sunt scripta, quod placet Wernsdorfio [4]), sive a viro, qui multo post fuit, ficta sunt, quod defendit Lerschius [5]), sive Barthio ipsi sunt attribuenda, quod coniecit Otto [6]).

1) Wernsdorf III, 351—364. E. Bährens V, 408—411.
2) Wernsdorf III, 327.
3) Vestr. Spur. reliquiae recogn. Frkf. 1840.
4) Poet. lat. min. III, 330.
5) Zeitschr. f. Altertumswissenschaft. IX, 1842. p. 873—878.
6) In iisdem commentt. pg. 835.

Quibus autem partibus formae a nobis tractatae faveant in hac controversia, interrogas? Certo indicant Spurinnae aetatem. Nam omnes elocutionis formae eadem fere copia comparent atque in Senecae tragoediis, cf. rationes has: forma I = 1 : 3; II = 1 : 6; III = 1 : 12; I^a = 1 : 9; III^a = 1 : 18; forma III glyconeis implicata quinquies, forma Y quater spectantur; formae X, quamquam in una sola carminis IV stropha exhiberi poterant, tamen bis ibi sunt adhibitae. Porro cum caesurae loco non plus minusve sit interpunctum quam apud Horatium, Senecam, Statium, sententiae nostrae etiam ex hac re aliquid roboris addatur: attamen cum omnia, quae de hac re disputata sunt, carminaque ipse diligentius inspexerim, persuasum mihi est, ficta ea esse medio aevo. Quaestiones vero, quas habui de verba collocandi ratione, quamquam ea vel potius quia significat Domitiani tempora, id prorsus affirmant, falsarium, si quidem est, poetarum illius aetatis proprietates, quae spectarent ad verborum compositiones, bene acriterque cognitas habuisse.

Extremum in anthologiis locum tenet **carmen sapphicum incerti aevi et auctoris**, legitur autem in Wernsd. poet. lat. min. III, 419; Riese, anth. lat. 934; Bährens poet. lat. min. V, 419. Hoc carmen ab antecedentibus, si modo Spurinnae reliquias non curamus, diversam rationem vocabula collocandi praebet, cum omnes formae praeter I^a inducantur; invenis igitnr formas II, III, III^a semel, formam I ter, formas X bis (in 21. 22 dupliciter), formas X ter. Hic usus nos commonefacit Ausonii temporum atque etiam verborum ordini, qui conspicitur in 8. 9:

milite vicit
vincere ingentes | ————

solus simillimus est Ausonii v. I, 4. 5. Caesura vero laesa in versu 7 minoris est momenti, nec particula 'sic' ter posita in initiis versuum 25—27 multum valet.

At concinnitas vocabulorum in 33. 34:

a b
Non *satis* mundus | **fuit** unus illi
a b
Nec *satis* quisquam | **fuit** unus illi

et in 2. 3:

———— | capit (*arma*) mundi (a)
———— | gravis *arma* regum (a)

Paulini Nolani usum attingit. Quamobrem hoc carmen saeculi quinti priore dimidio compositum esse censemus, si vocabula collocandi ratio satis gravis habetur, quae ad tempus definiendum aliquid valeat.

Priusquam vero in universum comprehendamus, quae invenimus, iam restat, ut animus ad quattuor viros referatur, qui metrum sapphicum parcius usurpaverunt. Sunt autem **Ennodius** episcopus[1], **Venantius Fortunatus** presbyter[2], **Gregorius** Papa[3], **Eugippius** presbyter[4], cuius sub nomine hymnus in laudem S. Severini traditus est. Ennodii et Venantii, qui uterque fuit saeculo sexto, carmina multa communia praebent. Condiderunt autem Ennodius strophas sapphicas 16 (p. 405, 513, 526, 593), hendecasyllabos alcaicos 32 (carm. I, 17. hymnus S. Euphemiae. p. 549), Venantius strophas sapphicas 22 (carm. IX, 7). His addo Gregorii duos hymnos stropharum 6 et Eugippii hymnum stropharum 13.

Ratio vero singularum formarum comparet haec:

	Numerus versuum	forma I	forma II	forma III	forma Ia	form. IIIa
Ennodius	hendec. sapphici 48	1 : 3⅙	1 : 48	1 : 7	1 : 48	1 : 48
„	hendec. alcaici 32	1 : 8	1 : 8	1 : 16	1 : 32	0
Venantius Fort.	hendec. sapph. 66	1 : 8¼	1 : 33	0	0	0
Gregorius	hendec. sapph. 18	1 : 18	0	0	0	0
Eugippius	hendec. sapph. 39	1 : 6½	1 : 10	1 : 39	1 : 39	0

1) Ennodii opera omnia rec. W. Hartel, Vindob. 1882. Corpus scriptorum ecclesiast. VI.

2) Ven. Fort. opera poetica rec. Fr. Leo. Berol. 1881. Monum. Germ. hist. auct. antiquiss. IV, 1.

3) Migne, patrol. latin. 78 p. 849.

4) Eugippii vitam S. Severini rec. et adn. H. Sauppe. Berol. 1877. Monum. Germ. hist. auct. antiquiss I, 2. — Corp. scr. eccles. lat. IX, 2, p. 71.

Accedunt formarum X similiumque exempla quae insunt haec:

	formae X	formae Y	formae A
Ennodius (sapph.)	0	1	0
Ennodius (alc.)	2	—	—
Venant.Fortunatus	2	3	2
Gregorius	1	0	3
Eugippius	2	1	1

Caesura nimirum ubique ad severam huius aetatis legem servata est; ceterum Ennodius non utique in stropha una quaque structuram grammaticam absolvit idemque semel observatur etiam apud Gregorium (II, 4), contra Venantius Eugippiusque magna severitate singulas strophas secreverunt. Semel tantum adonium una voce constantem videmus, Gregor. II, 4. Porro in Ennodii hendecasyllabis alcaicis in priore hymni parte allitterationem sensi libenter esse adhibitam (cf. v. 2. 3. 6. 8. 11. 12. 15. 16. 17.). At rhetoricae figurae, quae appellantur, anaphora, epiphora, chiasmus in hendecasyllabis alcaicis praeter 1 et 24, qui ad anaphoram fortasse referri possunt:

1. quae ——— | quis ———
24. lux ——— | luce ———

et in sapphicis Ennodii et in Venantii hymno prorsus despectae iacent. Et haec potissimum inopia et formarum et figurarum huius aevi sane propria est.

Similiter res se habet in Gregorii hymnis, ubi unius versus II, 6 ordo vocabulorum notabilis esse videtur:

Pellat *languorem* | tribuat *salutem*

et in Eugippii carmine, cuius versum 21 contempleris hunc:

Magne *confessor* | humilis *magister*

cf. v. 5. 9. 41—43 (veniens — mutus — caecus).

Denique legentes versus 29. 30:

Condolens cunctos | inopes *fovebat*
Languidos **sanans** | *relevabat* aegros.

recordamur Paulini, Claudiani, Asclepiadii, qui similia in verbis componendis ostenderint.

Haec dicenda mihi erant de usu et ratione qua verborum compositiones figuraeque rhetoricae adhibitae sint, quae quidem occurrunt ab initio litterarum inde ad exitum saeculi post Chr. n. sexti.

Sed iam ad exitum quaestio venit neque restat nisi ut breviter comprehendamus, quae observavimus, Itaque poetae olim Lesbiaci cum summa arte summoque ingenio carmina conderent, compositionum formas fere pro nihilo duxerunt nec caesuram certo loco fixerunt. Catullus vero paulum acrius severiusque et caesurae et illis formis studuit, Horatius autem primus induere versus suos eam speciem iussit, quam in posterum non iam amiserunt. Attamen versiculis ea vincula non imposuit, quibus Seneca et Statius eos mandaverunt. Quamobrem formae, quae in Flacci carminibus vigebant et florebant, in illis etiam spissiores leguntur. Caesura vero simulac eodem semper loco vincta est, nunquam postea nativam libertatem recuperavit, nam tres versus, qui reperiuntur apud Ausonium I, 23, Luxorium 294, 8, Sulpicium I, 1 aliam vel nullam caesuram exhibentes, tam pauci sunt, ut hanc legem non deleant[1]).

Formis autem, quas per totam disputationem utique tractavimus, accidit, ut paulatim magis magisque minuerentur. Forma I quidem sola in universum servavit eundem usum, ceterae autem deminutae sunt, sed ita, ut poetarum alter alteri interdum magis faveret, velut formae Y Paulinus Nolanus, formae III Claudianus. Idem pertinet ad anaphoram et chiasmum, sed hae quoque figurae non nisi paucorum poetarum singulari cura fruuntur, dico Paulini, Claudiani, maxime Asclepiadii. Denique poetas singulos, quos maxime artis auctores secuti sint et imitati, in superioribus satis excussisse mihi videor.

1) Luc. Mueller de re metr. pg. 205 Sulpicii versum omisit.

Index.

VITA.

Natus sum Fridericus Bernhardus Theodorus Reichardt Hannoverae in vico Rotenburg Kalend. April. anni h. s. LXV patre Theodoro matre Iulia e gente Holstiana quos ambos adhuc vivos magna pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. Anno h. s. LXXVIII in gymnasium Verdense, quod Freytagio rectore maxime floruit, receptus usque ad LXXXIV scholas eius frequentavi. Eodem anno maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ubi scholis interfui Schwabii, Rhodii, Herzogii, Kugleri, Spittae. Eiusdem anni hieme Lipsiam iam adii, ubi me docuerunt viri illustrissimi, Ribbeckius, Lipsius, Heinzius, Strümpellius, Overbeckius, Zarnckius, Voigtius, Masius, et seminarium frequentavi auspiciis Crusii. Anni LXXXVI vere Marpurgum commigravi, ubi per tres annos summa voluptate audivi viros doctissimos Leopoldum Schmidtium, Birtium, qui uterque maxime de me est meritus consilio ac benignitate, Nieseum, Bergmannum, Wissowam, qui valde me obstrinxerunt, Lucae, Cohenium, Kochium, Stoschium et seminariis interfui sodalis rectoribus Schmidtio, Birtio, Nieseo, Lucaeo, Stoschio. Quibus omnibus viris gratias quam maximas et nunc ago et semper agam.